

10 10
12

Brevis & succincta
COMMENTATIO
IN
AUGUSTANAM
CONFENSIONEM
ceterosque Ecclesiæ nostratis
LL. SYMBOLICOS.

Cujus

Prolegomena & Tres priores Articulos

Juvante DEO

P R Æ S I D E

GODOFREDO HOFFMANNO,

S. Theol. D. & Prof. Publ. Ord. Ducalis Stipendiï Theol.
Superintendente, Ecclesiæ Tubing. & h. t. Facult. Theolog.
DECANO,

publicè defendent

M. CHRISTOPHORUS FRIDERICUS SATTLER, *Kircho-Teccensis.*

M. JOHANNES DIETERICUS HERTELIN, *Heilbronnensis.*

M. JACOBUS DAVIDES ESSICH, *Tubingensis.*

M. GEORGIUS ADAMUS GOERIZ, *Wylanus ad Saxum.*

M. GEORGIUS DAVIDES HAAS, *Holzmadensis.*

SS. Theol. Stud. in Illustr. Stip. Theol.

Ad dies

Decembr. A. MDCCXXIV.

TUBINGÆ,
Typis JOSEPHI SIGMUNDI.



I. N. J.
PROLEGOMENA
in Libros Symbolicos in genere.

§. I.



LIBRI SYMBOLICI dicuntur non à *συμβολῆ* vel *collatione*, sed à *Symbolo*, quoniam iis, ceu signo & tessera militari, orthodoxi in Ecclesia militante ab hostibus veritatis discernuntur. Vid. RICHENBERG. in *Append. p. 2. & 38.*

§. II.

Scripta, quæ hoc nomine insigniri solent, propriè loquendo non sunt principium aut *norma fidei*, in quo à scriptis *θεοπνευσταῖς* in S. Codice contentis differunt. Vid. *Epitome* §. 570. Sed *confessiones fidei* publicæ, nomine Ecclesiæ de articulis potissimum controversis editæ, ut simpliciores de his è verbo Dei erudiantur, ab hæretica pravitate præserventur, & qui membra unius Ecclesiæ sunt, in unanimitate fidei professione continentur.

§. III.

Quamquam verò ea non tam *judicis*, quam *testium* potius loco haberi debeant, & testimonium pro religione dicant

p. 572. & 636. non tamen propterea sunt nuda testimonia historica, quæ mens ac sententia fuerit Ecclesiæ super uno alterove fidei articulo, sed & vim quandam decidendi è verbo Dei habent. Vid. p. 637. & Conf. DORSCHÆI *Exercit. ad Διατύπωσιν Concilii Nicani p. 65.* Et proinde *pro compendiarria forma* s. ὑποτύψει *sana doctrina* haberi debent, *secundum quam, cum è verbo Dei sit desumpta, alia scripta judicare oportet, quatenus probanda sint & recipienda*, prout dicitur p. 635. quo sensu etiam *norma* appellantur in *præfat. generali sub fin. §.* Quare etiam nos &c. secundum quam *professio fidei* externa in Ecclesia, quæ hos libros Symbolicos recipit, dijudicari debet; Norma, ut loqui amant, *secundaria & normata*, non πρώτως, sed δευτέρας ac consequenter talis, propter consensum cum Scriptura, & in ordine ad illam Ecclesiam, quæ veritatem eorum ex Scriptura probatam præsupponit. conf. JO. SCHMIDIUS in *Diff. singulari de August. Conf. p. 29.* B. OSIANDER in *Coll. ad August. Conf. p. 18. & 20.*

§. IV.

NECESSITAS horum librorum absoluta quidem non est, sed *hypothetica*, & quam vocant *expedientia*; Quia enim hæretici sub fucatis vel *nimis generalibus verbis aut phrasibus* errores suos *occultabant*, v. p. 637. necesse fuit, concinnari tales formulas & declarationes purioris doctrinæ, ut verum à falso clarius & *facilius discerni* posset, & ut eò magis è latibulis suis ἀντιλέγοντες extraherentur, quo ipso neque *perfectiōni* neque *perspicuitati* Scripturæ S. quicquam derogatur, cum neutra uberiorem explicationem & deductionem articulorum fidei excludat. Præterea eares ad hoc etiam confert, ut *turbulentis contentiosisque hominibus*, qui ad nullam formulam purioris doctrinæ adstringi se patiuntur, liberum non sit, pro suâ libidine controversias cum offendiculo conjunctas movere, & prodigiosas opiniones & proponere & propugnare. v. Præfat. general. Huc pertinent verba G. MYLII, qui de origine & utilitate Symbolorum ita disserit: Post-

Postquam sancti illi Dei homines, quos appellat Petrus (2. Ep. I. 19.) Prophetas, Evangelistas & Apostolos intelligo, scriptorum suorum *Θεοπνεύτων* Catalogum absolverunt, sic est quidem illicò completus eorum scriptorum omnium numerus, qui ad sacrum Canonem pertinent, hoc est, quorum sacrosancta & omni exceptione major est auctoritas, ut ad eum admitti scriptum omnino nullum aliud possit. Soli enim, ut Augustinus loquitur, (Ep. 19.) Prophetarum & Apostolorum libri sunt, de quibus, quod omni errore careant, dubitare nefarium est: Et solis his scripturarum libris, qui jam Canonici adpellantur, didici, inquit idem Augustinus, hunc timorem honoremque deferre; ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi, vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Genus ergo hoc librorum, quod Canonicum appellamus, in consortium suæ dignitatis alios quoscunque adeo non admittit, ut ab illis genere toto se junctum semper maneat. Et est quidem hoc scriptorum genus ita illustre ac perfectum, ut pluribus libris ad docendam veritatem cœlestem Ecclesiæ primitivæ non fuerit opus: maximè saltem eo tempore, quo Zizania in Ecclesiæ agro nondum succreverant. Quod si numquam infelix errorum ac depravationum lolium Satanæ fraude disseminatum istic pullulasset, ad dogmata sacra propaganda pluribus libris magnopere non fuisset opus.

Postquam verò, progressu temporis, hæreticorum fraude depravata, & ut Petrus loquitur, (2. Ep. III. 16.) detorta sunt scripturæ, ita ut nulla tam fœda esset hæresis, errores nulli tam essent tetri, quin scripturis contortis inflexisque palliare eos conarentur hæretici, plurimis etiam in nassas suas pertractis *ἀμαθείσι καὶ ἀσηκίνοις*, piæ interpretationis beneficio Ecclesiæ in scripturis magnopere opus fuit, qua genuinus sacrarum litterarum sensus, & pia Ecclesiasticorum dogmatum sinceritas adversus corruptelas probè muniretur. Hinc non privata tantum singulorum in Ecclesia docentium Patrum orthodoxorum, sed & Ecclesiæ vel universæ, vel particularis alicujus scripta magno numero sunt exorta, quæ pro genuino scripturarum sensu conservando, tuendaque religionis sinceritate, hæreticorum depravationibus sunt opposita, & ceu SYMBOLA constituta, quibus qui

orthodoxam fidem sequebantur, ab hæreticis sunt dignoti. Hac occasione in *Nicena* Synodo fidei confessio est edita, quam Constantinopolitana prima postmodum sancivit & approbavit, & Ecclesiæ rectè de Deo sentientis, & germanum scripturarum sensum retinentis symbolum esse voluit. Hinc B. *Athanasii* symbolum ortum duxit, quod est à plerisque synodis postea acceptatum. Hinc *Ephesina* Synodi determinationes promanarunt, quas anathematismorum forma *Cyrillus Alexandrinus* complexus est. Hinc fidei confessio in Concilio *Chalcedonensi* est concepta, quæ esset ad rectè intelligendas scripturas & capita religionis probè munienda quasi Index quidam & Mercurialis, quod dici solet, statua. Quod si *Ruffino*, & vulgatæ antiquitatis traditioni fidem habentes, ab invicem discessuros communem illam prædicationis normam constituisse credimus, quæ regula esset credentibus, & quam *Ambrosius* appellat, (*Serm. 38. de Jejunii & Quadrages.*) quasi clavis quædam, quæ scripturarum intellectus aperiretur, eadem occasione Symbolum etiam seu Confessio Apostolica in Ecclesiam esse introducta videbitur. Hinc igitur primum illud constat, quo consilio scribendarum confessionum usus in Ecclesia invaluerit: tum indidem apparet, quæ sit, quantaque Symbolorum istorum, si cum scripturis Canonicis conferantur, auctoritas. Quod si quis ambigit, an Confessiones scribere nostra etiam ætate fas sit Ecclesiæ atque licitum? is perinde quæret, ac si roget: num scripturas planè interpretari, & de sensu vero earundem, contra ingruentes hæreses, fidelium cœtum munire atque erudire conveniat? Postquam ergo Ecclesia sub *Babylonicâ* Romani Antichristi captivitate longo seculorum tractu, justissimo iudicio Dei, detenta, & *Cimmeriis* tenebris crassissimaque scripturarum ignorantia oppressa, per electum illud Dei organum D. *Martinum Lutherum* (quem numquam sine benedictione nomino) accensâ Evangelii luce ad pristinam libertatem paulisper adspirare cœpisset, & jam eo loco res Ecclesiæ versarentur, ut de sinceritate fidei, veroque scripturarum intellectu adversus corruptelas Pontificias publica fuerit reddenda ratio, Ecclesia jure suo usa, idque facere à summo Magistratu etiam iussa, *Confessionis Symbolum* religiosè in timore Domini conscripsit, idque sic temporum serente conditione, per Illustrissimos & nunquam satis laudatæ memoriæ Confessores, *Augustæ* in frequentissimis Imperii comitiis, publicè proposuit. *Hætenus G. Mylius.*

§. V.

ANATHEMATISMOS quod attinet in iis passim occurrentes, quando dicitur : *Damnant*, scilicet Ecclesiae apud nos, omnes hereses &c. *Damnant Pelagianos & alios; Damnant Anabaptistas*, & sic porro; non adversantur illi charitati christianae, sed sty- lum sapiunt D. Pauli Gal. I. 8. & veteris Ecclesiae; Nec feriunt vel totas Ecclesias, *qua sub Romano Imperio nationis Germanicae vel alibi sunt*, vel eos homines, *qui ex quadam animi simplicitate errant, nec tamen blasphemi in veritatem doctrinae caelestis sunt*; Sed mens potius atque animus Majorum nostrorum fuit, *hac ratione fanaticas opiniones & earundem pervicaces doctores, & blasphemos duntaxat palam reprehendere & damnare, quod illi errores expresso DEI verbo repugnent, & cum eo conciliari nequeant, quò pii omnes de his diligenter vitandis monerentur.* Condemnatio enim Ecclesiastica, *inquit FRID. BALDUINUS in pecul. Dissert. de Anathematismis*, nihil aliud est, quam censura publica doctrinae impiae & assertorum ejus, quae ex Scripturâ convicti, quod Ecclesiam turbent & alios seducant, indigni judicantur, qui audiantur amplius, ejusque poenae rei declarantur, quam DEUS malitiosis Verbi sui depravatoribus minatur, *in eum finem facta, ut seductores corrigantur, & seducti cautiores fiant, inque rectum veritatis tramitem reducantur.* Id quod officium charitatis postulare nemo facile in dubium vocabit. Vid. *Praefat. gener. §. ad condemnationes &c.*

§. VI.

Similiter SUBSCRIPTIO nil quicquam derogat Libertati Christianae, cum ad eam nemo cogatur, nec unquam coactus fuerit, id quod D. ANDREAE in Colloquio Herzbergensi tam verè se affirmare posse dixit, *quam verè Filius DEI sanguine suo ipsum redemerit.* Fieri autem ista debet non hypotheticè, sed categoricè; non ex parte, sed ex toto; non per quatenus, sed

per *quia*, candide & sincerè, id quod ipsa natura confessionis fidei satis docet, quippe quam ingenuam absque dolo & fraude esse oportet I. Petr. III. 15. Prærequirit verò ea accuratam lectionem & examen librorum Symbolicorum ad normam ipsius verbi divini. I. Theff. V. 21. I. Joh. IV. 1. Quod PHRASES & modos loquendi attinet, ad hos nemo obligatur quoad formulas loquendi *vulgares* passim in libris Symbolicis occurrentes; phrasæ autem *doctrinales*, dogmata fidei exprimentes & declarantes, (quò pertinent in specie vocabula *abstracti & concreti*, quibus in materia de communicatione idiomatum utitur Formula Concordiæ) in Scholis meritò retinentur, ne sub novis ac peregrinis vocabulis nova & peregrina dogmata in Ecclesiam invehantur, & receptus doctrinæ typus præter necessitatem negligatur vel turbetur. Quod ipsum tamen extendi non debet ad omnes & singulos terminos aut phrasæ, quibus Melancthon in *Apologiâ καὶ ἀνθρῶπων*, & ut èo facilius aliquando coire concordia possët p. 48. interdum usus est. Quod & de allegationibus dictorum Scripturæ observandum est. Confer, si placet, B. SPENERI Consilia Germanica P. I. p. 596. P. IV. p. 729. & Latina P. I. p. 331.

§. VII.

Sunt verò Libri Symbolici sequentes : Primum locum occupant TRIA SYMBOLA Oecumenica, *Apostolicum, Nicanum & Athanasianum*; Secundum AUGUSTANA CONFESSIO, & quidem sola illa prima ipsi Imperatori Carolo V. in Comitibus Augustanis A. 1530. exhibita, ejusque APOLOGIA; v. *prof. gen. §. ideo adversariorum &c.* Tertiò sequuntur ARTICULI SMALCALDICI A. 1537. à Luthero scripti eum in finem, ut in Concilio, si quod congregandum esset, generali exhiberentur. pag. 298. Subjungitur UTERQUE CATECHISMUS LUTHERI, quem ipse pro pretioso sanæ doctrinæ thesauro reputavit, & quæ *Biblia Laicorum* auctores Formulæ Concordiæ appellare non dubitarunt. p. 571. Denique

nique FORMULA CONCORDIÆ in specie sic dicta, constans partim *Epitome*, partim *Declaratione* uberiore articulorum, de quibus inter Theologos Augustanæ Confessioni addictos controversiæ aliquandiu non sine scandalo agitatae fuerunt. vid. RECHENBERG in *appendice* p. 27. & *seqq.* Quæ omnia sub titulo generali *Libri Concordiæ* veniunt, qui qua occasione, quo auctore & fine sit concinnatus, ex præfatione generali addisci potest, & ex Libro LEONH. HUTTERI præstantissimo, cui titulus est: *Concordia Concors.*

§. IIX.

Quod attinet tria ista Symbola, præmittuntur ea sine potissimum *apologetico*, ut consensum suum Ecclesia nostra cum antiqua Ecclesia hoc modo declararet, atque ostenderet, non novam se comminisci doctrinam, neque ab *Ecclesia Catholica* (p. 20.) ullo modo recedere. V. *Epit.* p. 571. Quanquam verò præter hæc tria modo enumerata Symbola alia quoque in usu fuerint, scil. *Constantinopolitanum*, *Ephesinum*, & *Chalcedonense*, non tamen nisi tria priora præmifere nostrates, non quod cetera ignorarent aut excluderent, sed ut morem Ecclesiæ Romanæ, quæ potissimum tria illa in sacris publicis retinebat, sequerentur.

§. IX.

Symbolum APOSTOLICUM est Summa quædam fidei Catholicæ, non quidem ab ipsis Apostolis, uti vetus traditio habet, sed à Viris Apostolicis, ex scriptis & concionibus oralibus Apostolorum, de plerisque & præcipuis capitibus Religionis Christianæ eo fine concinnata, ut simpliciores articulos fidei eò facilius discere inque memoria retinere, & per istiusmodi confessionem à paganis sive infidelibus discerni possent. Ita enim AUGUSTINUS *L. de Symb. ad Catech. c. 1.* Hoc est, ait, *Symbolum*, quod *retenturi estis & reddituri*, ista verba, quæ *auditis*, per *divinas Scripturas sparsa*, sed *inde collecta & ad unum redacta sunt*, ne

tardi-

tardiorum hominum memoria laboraret, & ut omnis homo possit tenere, quod credit. De additionibus, quæ huic Symbolo successu temporis factæ sunt, videatur PEARSONIUS in *Explic. Symboli* passim. Neque verò illud omnes fidei articulos, quos fundamentales vocant, satis explicitè continet, & proinde pro refera fraternitatis haberi nequit, cum diversos admittat sensus, quos in tabulis exhibet RECHENBERG. in *Append. p. 48. sqq.*

§. X.

Symbolum NICEÆNUM est Confessio fidei publica in Synodo Nicæna à Constantino M. Anno Christi 325. convocata è S. literis condita, & postea in Concilio Constantinopolitano A. C. 381. repetita, & additis quibusdam verbis aucta & illustrata, ἐπιθεσίαν Filii Dei & Personarum Trinitatem asserens, omnes orthodoxos obligans, atque ab Arianis similibusque hæreticis discernens. De quo vid. DORSCHÆI *Exerc. ad Διαλύπωσι Concil. Nic.* & VOSSII *de trib. Symbolis Diss. I. §. 9. sq.* alique. Quando vox *Filioque* tertio articulo addita fuerit, incertum est. Sunt, qui multis post seculis ab Ecclesiâ Latinâ adversus Græcos id factum fuisse dicunt. BEBELIUS verò in *Synopsi Historia & Doctrina Symbol. p. 19.* probabilissimum censet, tempore Concilii Ephesini Sec. V. & paulò post, Patres contra Nestorium negantem, quod Spiritus S. sit proprius Filii Spiritus, sicut est Patris, cœpisse expressis verbis docere, quod Spiritus S. à Patre *Filioque* procedat. Cæterùm & Symbolum *Niceno-Constantinopolitanum* vocari solet; Quando autem simplici nomine *Nicenum* appellatur, denominatio pro more fit à potiori.

§. XI.

Symbolum ATHANASIANUM pariter est publica fidei Catholicæ confessio, è scriptis & doctrina Athanasii de mysteriis Incarnationis & Trinitatis contra Arianos præcipuè, & alios hæreticos collecta, (quo tempore? incertum) atque in Ecclesia ideò

ideo recepta, ut unusquisque fidem Catholicam in his cumprimis duobus articulis maximè fundamentalibus integram in-violatamque seruet, & per hanc saluus fiat. Quò pertinent verba initialia Symboli: *Quicumque vult saluus esse &c.* ejusdemque clausula: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quis fideliter & firmiter crediderit, saluus esse non poterit.* Quæ verba à Remonstrantibus superbiæ & crudelitatis præter meritum arguuntur, cum reipsa nihil aliud dicant, quàm quod Salvator innuit Jo. XVII. 3. verbis: *Hæc est vita æterna &c.*

§. XII.

AUGUSTANA CONFESSIO dicitur à loco, quia AUGUSTÆ VINDELICORUM in publicis Imperii Comitibus A. 1530. Imperatori Carolo V. ad reddendam doctrinæ in Ecclesiis Evangelicis receptæ rationem exhibita fuit. Quo ipso augustum nomen confessio isthæc sortita est, non sine præclaro omine, ut vel ex ipso nomine constaret, *augustam* esse Ecclesiæ nostræ fidem, quæ mox egregia habitura sit incrementa; In quo, observante G. MYLIO, magnam cum reliquorum Symbolorum ominosis nominibus communitatem habet. *Apostolicum* enim Symbolum ab Apostolis sic appellatur; Quàm ergo doctrina Apostolorum palmam in mundo semper obtinebit, tam manebit rata Symboli Apostolici auctoritas. *Nicano* Symbolo *ἀπὸ τῆς νίκης*, id est, à *victoria* nomen obtigit, ut invictum hujus robur nomine ipso innuatur. *Athanasianum* ab *immortalitate* etymon suum trahit. Sic ergo dum hic mundus duraturus est, nihil illi ab interitu periculi esse, felici augurio ostensum fuit. Idem de Confessione nostrâ *Augustanâ* verè *augustâ*, cui Hieronymus Torrentis *Augustinianam* suam frustrâ opposuit, sentiendum.

§. XIII.

De AUCTORE Confessionis quâno quæritur, notandum est, considerari eam posse aut ratione inventionis, aut ratione

dispositionis, aut ratione elaborationis. Ratione *inventionis* auctor istius est totus Protestantium cœtus sive tota Ecclesia Evangelica, quæ in hoc negotio primas tenet; Labor enim conscribendæ confessionis à Theologis non susceptus fuit privato quodam ausu, sed jussu Principum & Civitatum, aliorumque Ordinum Lutheri doctrinam tunc temporis amplectentium, adeoque nomine totius Ecclesiæ; Unde initio statim articuli primi dicitur: *Docent Ecclesiæ apud nos magno consensu &c.* Sed nec ipsa confessio exhibita prius fuit, quam in ipsis Comitibus in frequenti Evangelicorum conventu præsentibus Principibus de singulis ordine disputatum esset. Ratione primæ *dispositionis* auctor ejus est Lutherus, qui instituta prius ex mandato Electoris Saxonix JOHANNIS cum aliis Theologis deliberatione, quam formam & methodo confessio commodè adornari posset, septendecim Articulos consignavit, qui *T. V. Jenensi German. p. 14. sqq.* leguntur, quos deinceps sequutus fuit Philippus Melancthon in *elaboratione*, dum ceterarum Ecclesiarum confessiones cum XVII. istis Lutheri Articulis contulit, atque ex omnibus iis hanc ipsam, quæ in Concordiæ libro continetur, confessionem elaboravit, ita quidem, ut in Articulis plerisque eundem ferè servaverit ordinem, nec solùm sensum Lutheri, sed & verba & phrasas, uti collatio docet, in quamplurimis retinuerit.

§. XIV.

Postquam autem hæc ipsa Confessio dicto modo concinnata & à Lutero Coburgi tunc subsistente approbata fuit, ordines Protestantium occasionem quæsierunt in comitiis eam primo quoquo tempore in lucem producendi, & ab Imperatore per *Georgium Pontanum* (*Bruf*) Electoris Saxonix Cancellarium, humillimè petierunt, ut, cum sciant, multa de fidei suæ articulis secus, quam res haberet, passim in vulgus spargi, Cæsarea Majestas, omnesque Electores ac Principes absque molestia & rædio audire & percipere dignentur Summam illius

lius Doctrinæ, quæ in suis territoriis populo hæcenus à Concionatoribus suis proposita fuerit; Quibus responsum fuit per FRIDERICUM Palatinum, Imperatorem velle, ut articulos fidei suæ scriptos sibi exhiberent; At illi institerunt, atque enixe petierunt, ut publicè confessio ab omnibus audiatur, id quod etiam obtinuerunt die *Junij vigesimo quinto*, qui Sabbathi dies erat Johannis Baptistæ festum proximè consequens, & septimanam istam felicissimo colophone terminans. Erat quidem *feria sexta*, adeoque ipsa Johannis B. feriata dies, huic oblationi ab Imperatore & Statibus destinata, verùm id legati Austriaci, Sigismundi Dietrichsteinii, Oratio de clade à Turcico Tyranno Austriæ nuper illata impedit, quare in sequentem diem Sabbathi solennis publicæ recitationis actus rejectus fuit, ubi coram Augustissimo Cæsare Carolo V. assidente Ferdinando Romanorum Rege, & præsentibus penè omnibus Electoribus, Principibus & Ordinibus Imperii, animo planè intrepido ac verè Heroico prodierunt JOHANNES Elector Saxonix cum Filio JOHANNE FRIDERICO, Duce Saxonix, ceterisque Principibus & Statibus, quorum nomina Augustanæ Confessioni subscripta leguntur, hancque fidei suæ & doctrinæ publicæ confessionem per Cancellarium Juniozem *D. Bayerum* publicè clarâ voce recitari curarunt, eamque magnâ cum attentione ab omnibus per integrum bihorium auditam Cæsari exhibuerunt, qui utrumque exemplar, Latinum & Germanicum, (quod posterius annuente Cæsare prælectum fuit) manu suâ apprehendit, simulque clementissimè pollicitus est, se de toto negotio cogitationem diligentem atque accuratam suscepturum esse. De quo vid. præter SLEIDANUM, COELESTINUS in *Hist. Comit. August. T. I. p. 131. seqq.* nec non CHYTRÆUS in *Hist. August. Conf. p. 58.*

§. XV.

Factum interim est singulari Numinis Divini provisu, ut paulò post Confessio in plures alias linguas, præsertim ipsius

Cæsaris mandato in Hispanicam, Italicam, & Gallicam translata, sicque ferè per totum terrarum Orbem disseminata, & multos passim adstipulatores nacta fuerit. De quo miraculo LUTHERUS post id tempus in hunc modum commentatus est : *Tanta est Verbi Dei efficacia & virtus, ut quo plus persecutionis habet, eò plus floreat & crescat. Considerate comitia Augustana, quæ verè sunt ultima tuba ante extremum diem : quia totus mundus astuabat contra verbum DEI. Hui! quantis precibus opus fuit, ut Christo sedem in Cælis saltem Pontificii concederent. Tandem nostra fides & doctrina ita prodiit in lucem per Confessionem nostram, ut brevissimo tempore mandato etiam Cæsaris ad omnes Reges & Principes mitteretur. Ibi multa præclarissimorum virorum ingenia in aulis fuerunt, quæ ut ignem fomes, sic doctrinam hanc avidè sunt amplexa. Majus est hoc miraculum, quam quod oratione cujusquam non dicam prædicari pro merito, sed saltem possit exprimi. Exteris gentibus, Gallicæ, Ungariçæ, Italicæ, Hispanicæ præsertim, persuasum fuit de nostra doctrina, eâ ipsam divinitatem negari, sacramenta sperni, promiscuas & foedas libidines, & nescio quæ monstra opinionum approbari. His illam figmentis & impietatis notis Monachi passim partim scriptis suis, partim concionibus deformaverant. Dum hac tetra suspicione religio nostra per oblatam hanc Confessionem uno quasi momento liberata fuit, quis hoc divinum beneficium fando saltem queat assequi ? Hinc & in præfat. generali Libri Concordiæ haud procul ab initio dicitur, Confessionem hanc, postquam Cæsari exhibita fuit, mox in totum terrarum Orbem sparsam ubique percrebuisse, & in ore & sermone omnium esse cœpisse. Id quod Bellarminus quidem pro sua modestia mendacium appellat, qui ipse tamen sibi non satis constans, in Præfatione T. I. Controversiarum præfixa hanc veritatem confirmat, dicens : *Quis ignorat, pestem Lutheranam (ita is fidem nostram sanctissimam blasphemè appellat) in Saxonia paulo ante exortam mox Germaniam pene totam occupasse, inde ad Aquilonem & Orientem.**

& Orientem profectam, Daniam, Norwegiam, Graciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam absumfisse, tum ad Occidentem & Meridiem pari celeritate delatam, & Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam Regna, brevi tempore populatam; ad extremum Alpes transcendisse, & in Italiam usque penetrasse. Quæ si vera sunt, uti omninò sunt, falsa esse oportet, quæ de eâdem Confessione T. 2. *Controvers.* nugatur idem Bellarminus, quod uno Septentrionis angulo fama ejus clausa fuerit. Mendacem oportet esse memorem! Finitis Comitibus Confessio ad Archivum Imperii, ut in eo asservaretur, delata, & Germanicum quidem exemplar in Cancellaria Moguntina, Latinum verò in *Bruxellensi* repositum est.

§. XVI.

De EDITIONIBUS ejusdem sequentia potissimum notatu digna sunt. Primo exemplari, quod ipso Anno 1530. prodiit, & locum non minus impressionis ac typographum celavit, parum auctoritatis tributum fuit; Deinceps A. 1531. duo exemplaria prodierunt Vitebergæ, non ejusdem quidem per omnia tenoris, variatio tamen in verbis magni momenti non erat. Sed nec alterum, quod cum originali magis concordabat, pro simpliciter puro unquam habitum fuit. Decennio post Anno 1540. privato Melanchtonis ausu prodiit *Editio variata*, cujus mentio fit in *Præf. gener.* §. Porro quod ad alteram *Aug. Confess. editionem Sec.* in quâ mutatio facta fuit extantissima in omnibus articulis, unico tantum primo excepto, addendo & demendo integras sententias & periodos; & quanquam Exemplar Germanicum non omnem planè corruptionem effugere potuerit, longe tamen majorem observare licet in exemplari Latino, quod Reformati quidem *Synagmati confessionum*, quod Genevæ aliquoties prodiit, inseruerunt, sub titulo confessionis Augustanæ *recognita*, vel ut Brandenburgici loquuntur, *verbesserten Confession*; In nostris verò Ecclesiis nulla ejus est autoritas, quia mutatio ista à solo Melanchtone ex nimio ac præpostero pacis studio facta, publicâ mox auto-

ritate rejecta, & Philippus eapropter non solum ab Electore Saxoniae per Pontanum & à Luthero graviter reprehensus, sed & coactus in colloquio Ratisbonensi A. 1541. à Principibus fuit, solenniter restituere, quaecunque mutaverat vel omiserat. Ipsas mutationes in singulis Confessionis articulis verbotim annotavit B. OSIANDER in *Exercitationibus ad Augustanam Confessionem*. Exemplar verò, quod in nostro libro Concordiae hodiè habetur, cum ipso Prototypo sive instrumento originali, ab Electore Saxoniae AUGUSTO in hunc finem ab Archiepiscopo Moguntino impetrato, non in rebus tantum, sed & in verbis singulis & apicibus exactè concordat. Ceterum GEORGIUS MYLIUS octo discriminis notas observare jubet inter variatam & non variatam editionem verbis sqq. *a. Prima editio, inquit, perspicua, sincera, plana ac animosa est, lucem minimè fugiens: posterior autem trepida est, involucra habet, & erroribus non paucis integumenta præbet. b. Prior Papatum apertè arguit, cum omnibus abusibus & profanitatibus; altera palpum facit. c. Prior Sacramentarios, Pelagianos, & liberi Arbitrii Patronos expressè damnat; Adulterina hisce receptum hinc inde præbet. d. Prototypus Lutherum cum suis scriptis Præceptorem & Interpretem agnoscit; secundaria editio hunc illi honorem non obscure detrahit. e. Illa dijudicat & discernit omnia ad amussim verbi Divini, sine personarum respectu; Hæc ad voluntates hominum se inflectit, & ad rationis captum sese hinc inde accommodat. f. Prior in docendo semper observat antithesin vera doctrina; Altera ingenuitatem istam declinat, & subterfugit. g. Prior nemini adulatur, pro socio non agnoscit, nisi qui contrariam doctrinam abdicat; Posterior in quorumvis fraternitatem se insinuat. h. Prima liberum iudicium cuiusvis in utramque partem relinquit; Mutata illa posterior contrariis studiis passim haud obscure occupata est. Quibus si accedat inspectio & collatio exemplarium patebit, variationem istam non exigui momenti esse, & puritati doctrinae Evangelicæ haud parum præjudicare.*

DE
TITULO & PRÆFATIONE

Augustanæ Confessionis.

§. I.

HIs ita generaliter præmissis ad ipsam nunc Augustanam Confessionem ejusque primùm *inscriptionem & præfationem* ad Cæsarem Carolum V. accedimus. Titulus sive inscriptio hæc est: CONFESSIO FIDEI; sc. quæ creditur, & publicè in Ecclesiis Evangelicorum docetur. Lutherus alicubi *Apologiam* vocat *T. VI. Jenens. Germ. fol. 113.* Scopus enim non erat adæquatum Catalogum necere omnium articulorum ac dogmatum fidei Christianæ, sed confessionem doctrinæ in Ecclesiis Evangelicis receptæ coram Imperatore edere, quoad summa & præcipua capita, ut dissensus Protestantium à Romanensibus inde posset cognosci. Unde & initio Epilogi dicitur: *Hæc ferè est summa doctrina apud nos &c. p. 19. Et p. 45. Hi sunt præcipui articuli &c.* Et in fine: *Ut doctrina summa cerneretur,*

§. II.

In Principio præfationis mentio fit *Cæsareæ indiçtionis* Conventus Imperii, quæ facta fuit d. 21. Jan. A. 1530. Quam occasionem edendæ confessionis fidei sibi ab Imperatore oblatam ambabus, quod ajunt, manibus amplexi sunt Protestantes, & prout pag. 6. dicitur, *maturè ipso mense Aprilis inter primos comparuere.* Ea vero, quæ præcedentibus annis in causâ religionis inter dissentientes acta fuere, in compendio huc ferè redeunt: Statim post initium reformationis Cæsar Maximilianus in Comitibus A. 1518. Augustæ habitis ad Pontificem Romanum scripsit, ut malo gliscenti in tempore mederetur. Sequenti anno 1519. hoc Imperatore defuncto, nepos ejus & successor Carolus V. ad instantiam Papistarum causam Lutheri satis rigidè agere cœpit,

coepit, ejusque doctrinam WORMATIÆ *A. 1521. d. 8. Maij.* pro-
scripsit, cujus tamen sententiæ durioris executio gravibus de
causis suspensa mansit. Et quanquam Cæsar ad observantiam
edicti WORMATIENSIS Proceres Imperii aliquoties graviter hortat-
us fuerit, non tantum in Comitiiis NORIBERGENSIBUS *A. 1523.*
sed & in litteris *A. 1524.* ex Hispaniâ datis; Postea tamen in
Comitiis SPIRENSIBUS *A. 1526.* remitti aliquid coepit de rigore il-
lius edicti, Cæsare in gratiam Statuum Evangelicorum decernente,
ut interea usque ad Nationale vel Oecumenicum Concilium in
causâ religionis ita sese gererent omnes, in sua quisque Provin-
cia, ut facti sui rationem Deo & Cæsari reddere possint. Hæc
verò halcyonia non diu durarunt, sed *A. 1529.* in Comitiiis rursus
SPIRÆ coactis doctrina & religio LUTHERANA denuò damnata, &
exercitium ejus planè interdictum fuit per decretum, adversus
quod Principes atque Ordines Imperii, LUTHERI doctrinam
amplexi, solenni protestatione, Cæsari Placentiæ mense Septem-
bri ejusdem anni exhibita, sese communiverunt, **PROTESTAN-**
TES inde dicti. Tandem Cæsar sub initium anni 1530. missis BO-
NONIÆ literis, indixit *conventum Imperii Augustæ*, non solum, ut
deliberetur de auxiliis contra Turcam, sed &, *ut in hac causâ reli-*
gionis partium opiniones ac sententiæ inter sese, in caritate, leni-
tate, & mansuetudine mutuâ audiantur coram, intelligantur &
ponderentur. V. Præfat. p. 5.

§. III.

Quod verò ibi in verbis sequentibus p. 5. 6. 7. dicitur de *re-*
ductione dissensionum ad unam simplicem veritatem & Christianam
Concordiam (NB. *quæ cum Deo & bona conscientia fieri possit*)
id non ita accipi debet, quasi tunc de Syncretismo quodam cogi-
tarint Protestantes, qui potius unice solliciti erant de abolendis
abusibus hæctenus in Ecclesiam introductis, adeò, ut Elector
Saxonix sub initium recitationis mentem suam animumque
his verbis publicè declararit: Nisi causa fidei in Comitiiis
hisce diligenter ageretur, definiretur & componeretur, cor-
ruptelæ

ruptelæ repurgarentur, abusus emendarentur ac tollerentur, se omnibus hæcenus factis protestationibus constanter inhæsurum esse; Sed id solum testatum facere voluerunt his verbis Status Evangelici, quod suâ ex parte ad pacem & concordiam, quantum quidem cum DEO & bona conscientia fieri posset, salva scilicet veritate doctrinæ cœlestis, ex animo sint parati. Conf. *Præfatio Apologia p. 47. sqq.* cui Philippus Melancthon nomen suum præfixit.

§. IV.

Jusserat verò Imperator August. tum in literis indictionis, tum sub ipsa initia comitorum, ut *singuli Status Imperii opinionem & sententiam suam*, de articulis controversis, (Germ. *derselben Irrungen / Zwiespalten und Mißbräuch halben*) in *Germanicâ & Latinâ linguâ proponerent atque offerrent. p. 6.* Id quod à Protestantibus factum, ita quidem, ut exemplar Latinum & Germanicum quoad rem per omnia, licet non quoad singulas phrasas & verborum apices, ubique conveniant, quod ipsum genio utriusque linguæ, non festinationi, tribuendum est. Uti quidem falsò à nonnullis ad extenuandam Confessionis auctoritatem dictum fuit, quòd ea in magna festinatione ac temporis angustia in diversorio Augustano scripta fuerit, cum tamen ad ejusdem adorationem ad minimum integrorum quatuor mensium spatium habuerint Confessores nostri. Mense enim *Martio* ab Ordinibus istud negotium demandatum fuit Theologis; mense *Aprili* verò & *Majo* ex confessionibus, quas singuli Ordines secum attulerant, à Theologis Augustæ congregatis, Philippo Melancthone, qui stilum moderatus est, Johanne Brentio, Justo Jona, Erhardo Schnepffio, & Georgio Spalatino confessio hæc concinnata, die *XI. Maji* ab Electore Luthero ad revidendum Coburgum transmissa, & tunc demum die *xxv. Junij*, uti paulò ante dictum, publicè prælecta & Cæsari exhibita fuit.

§. V.

Quod verò Status Protestantes eam p. 6. *suorum Concionatorum & suam confessionem* appellant, hoc ipso eam distinguere voluerunt à confessione *quatuor Civitatum* doctrinæ Zwinglii cum temporis adhærentium, (Argentorati puta, Constantiæ, Memmingæ & Lindavii) quam à *Martino Bucero* scriptam per *Casparum Hedionem* Ecclesiæ Argentinensis Doctorem seorsim quidem prælegere & exhibere voluerunt, Imperator verò eam audire & acceptare recusavit. Equidem in ipsis comitiis Philippus Hassiæ Landgravius Theologis Augustanæ confessioni addictis fraternitatis cum Zwinglianis procurationem enixè commendavit, Philippus autem & Brentius id possibile non esse, suo & aliorum nomine constanter responderunt. (Vid. horum responsum T. IIX. *Opp. Brentij* p. 1103. sqq.) Et ipse quoque Elector Saxonie sub finem comitiorum erga Cæsarem expressè sese declaravit, quòd cum Zwinglianis nihil commune habere, neque doctrinam eorum in suis ditionibus tolerare velit. Tametsi verò hoc religionis dissidium postmodum non solum continuatum fuerit, sed & quod vehementer dolendum, sensim creverit, & magis magisque augmentum subinde & exarcebaturum fuerit, tamen in Pacificatione *Osnabrucensi* A. 1648. cap. VII. Instrumenti, *unanimes consensu* placuit, ut quicquid juris aut beneficii cum omnes aliæ constitutiones Imperii, tum Pax Religionis & publica hæc transactio in eaq. deciso gravaminum ceteris Catholicis & Augustana Confessione addictis Statibus & subditis tribuunt, id etiam iis, qui inter illos Reformati vocantur, competere debeat.

§. VI.

Quemadmodum verò Status Protestantes prompti ac parati erant ad ea omnia, quæ cum Deo & bona conscientia fieri possent, ad Christianam Concordiam inter partes dissidentes conciliandam: Ita in præfatione statim sese communire voluerunt, ne culpa

culpa SCHISMATIS, quod futurum facile præviderant, ipsis imputaretur, si quidem hæc tractatio causæ religionis non processerit. p. 7. §. si autem &c. Confer. pag. 44. ubi in fine hæc verba leguntur: *Quod si nihil remiserint adversarii, ipsi viderint, quomodo DEO rationem reddituri sint, quod pertinaciâ suâ causam schismati præbent.* Et præfatio Apologiæ p. 49. ubi in medio dicitur: *Non delectat nos discordia &c.* quod ipsum Apologia sæpius repetit. p. 247. 249. 297. Conf. p. 349. 353. in fine.

§. VII.

Circa verba, in quibus mentio fit *Concilii generalis*, cuius congregandi spes aliquoties ab ipso Imperatore facta fuerit, observandum, quod quæ ibi allegantur de Pontifice Romano, historicè saltem tanquàm verba formalia Cæsaris recitentur, minimè verò à Protestantibus approbata fuerint, quippe qui potestatem convocandi Concilia non Pontifici Romano, à quo sese id impetraturum speraverat & promiserat Imperator, sed ipsi potius Imperatori competere omninò persuasi erant; Quare & in sequentibus, circa finem præfationis, *appellationi ad Cæsaream Majestatem simul & Concilium* aliquoties factæ sese adhuc adherere neque eam deserere velle aut posse solenniter & publice protestati sunt, Pontificis verò nullam amplius mentionem fecerunt, quin potius inter gravamina sua & causas, propter quas in Concilio Tridentino comparere nolint, primo statim loco hanc adduxerunt, quod potestatem convocandi Concilia in Pontifice Romano agnoscere non possint. Videatur *Stattliche Ausführung der Ursachen / warum ? &c.* pag. 24. & 33.

§. VIII.

Qualitates vero & conditiones talis Concilii, in quo sese ex *superabundanti comparituros & causam dicturos* ajunt Confessores nostri §. ult. p. 8. præf. exprimunt his verbis: In tali generalis,

nerali, libero & Christiano Concilio &c. Quale certè illud Tridentinum A. 1546. à Paulo III. indictum & A. 1563. post aliquoties factam interruptionem, à Pio IV. tandem finitum, minimè fuit, prout in modo allegato *scripto recusationis* solidè id demonstrarunt Status & Ordines Evangelici.

§. IX.

Quis eventus fuerit prælectionis & exhibitionis Augustanæ Confessionis, ex *præfatione Apologiæ p. 47.* satis liquet; Nimirum, *Theologi quidam ac Monachi*, numero XX. inter quos Eccius & Faber præcipui erant, *confutationem confessionis adornarunt, cui ut assentirentur Protestantes*, postquam *in confessio Principum prælecta erat, postulavit quidem Caesar, nostri verò id facere recusarunt, quia audierant, multos articulos improbatos esse, quos abjicere sine offensione conscientia non poterant, sed rogaverunt sibi exhiberi exemplum confutationis, ut & videre, quid damnarent adversarii, & rationes eorum refellere possent.* Id verò impetrare non potuerunt, nisi *periculosissimis conditionibus, quas recipere non poterant, scil. ne vel ederetur, vel transcriberetur, vel nulla deinceps scripta in hac causa producerentur;* Quâ de re rectè Lutherus dixit: *Nostra Confessio in summa gloria est edita; At illorum confutatio in tenebris sordescit; ipsi oderunt lucem, nolunt prodire.*

§. X.

Istam confutationem sic dictam PHILIPPUS MELANCHTON jussu Statuum Protestantium, consentientibus & approbantibus reliquis Theologis præsentibus, refutavit in *Apologia*, initio quidem succinctè, deinceps verò paulò prolixius scripta, postquam ejus exemplar procul dubio clàm ab amico quodam ei communicatum fuit (*p. 49. Vidi nuper confutationem &c.*) in cujus præfatione ait, sibi *cum Theologis ac Monachis istis, qui scripserunt confutationem, non cum Casare aut Principibus, quos verneretur,*

neretur, rem esse, ita, ut si quid videatur dictum asperius, ad illos, non ad hos, illud ipsum pertineat. Præterea se formam usitata doctrina retinuisse p. 48. quantum fieri potuerit, ut facilius aliquando coire concordia posset. Quo observato, phrasæ nonnullæ in Apologiâ occurrentes, quæ scrupulum aliàs Lectori movere possent, faciliè excusari possunt. Cæterùm eandem ea auctoritatem cum ipsâ Confessione habet in Ecclesiâ nostrâ, nimirum Symbolicam, prout ex præfat. Formula Concordiæ p. 633. constat, & eodem quoque fruitur in Imperio Romano privilegio per Pacem Religiosam, quo ipsa Augustana Confessio, id quod pluribus argumentis demonstrat DORSCHÆUS in dissert. Secular. de Augustana Confess. p. 115. sqq. Hactenus de Titulo & Præfatione. Jam verò ad ipsos Augustanæ Confessionis Articulos accedimus, quos inter

Articulus I.

De DEO UNO & TRINO

§. I.

Agit his verbis : *Ecclesiæ magno consensu apud nos docent,* (quæ verba per singulos articulos subsequentes reperti debent) *Decretum Nicana Synodi de unitate essentiæ divinæ & tribus personis verum esse &c.* Quinquàm enim circa hunc articulum de Deo Unitrino propriè nulla controversia fuerit inter nos & Pontificios, uti Lutherus ait in *Articulis Smalcaldicis*, p. 303. in fine; tamen Majores nostri confessionem suam ab hoc articulo auspicari voluerunt, non alium in finem, quàm ut ostenderent, se cum blasphemis istis hominibus ac hæreticis in antithesi nominatis nil commune habere, & ut calumnias de Lutheranis Atheis, Conciliorum Oecumenicorum & Ecclesiæ Catholicæ contemtoribus, apud exteros sparsam, hoc modo

modo diluerent, & à suspitione hæresium istarum sese purgarent. Ipse enim *Alphonsus*, Cæsaris Cancellarius Hispanicus, in Comitibus ad Melanchtonem dixit : Longè aliter, Philippe, in Hispania de vobis fama tulit, quam è Confessione vestrà intelleximus. Multi nobis persuaserunt, *vos negare Trinitatem.* &c. Conf. *Præfat. Art. Smalc. p. 300.* Provocant autem initio statim ad *decretum Nicæna Synodi* de Unitate Essentiæ Divinæ & Trinitate Personarum, non tanquam ad principium fidei, prout nonnulli ex adversariis id perperam interpretati sunt, sed tanquam ad testimonium Ecclesiæ primitivæ & purioris, illudque *verum & sine ulla dubitatione*, ab omnibus fidelibus, omni tempore, *credendum esse* dicunt, ita ut neque ignorari, multò minus negari aut impugnari possit absque salutis dispendio. Idque non idèò, quia Synodus Nicæna ita decrevit, sed quia decretum hoc *nititur certis & firmis testimoniis Scripturæ, quæ labefactari non queant*, prout *Apologia* habet p. 50.

§. II.

Circa vocabulum *Personæ*, quod æquipollet vocabulo *ὑπόστασις* (Ebr. 1. 2.) observandum, quod quidem Græci initio haud parùm eo offensi fuerint, quòd putarunt, nonnisi diversum respectum ac relationem ad munus & officium eo significari, postea verò à Latinis rectius edocti illud facile admiserint. Quamobrem & Confessio de genuino termini hujus significatu in hoc ipso articulo monet, se non in alia significatione uti nomine Personæ, quàm prout significat, *non partem aut qualitatem in alio, sed quod propriè subsistit.* Definiri enim aliàs solet persona, quòd sit substantia singularis, intelligens, incommunicabiliter subsistens, & quæ non sustentatur ab alio; seu, quod idem est, *suppositum intelligens.*

§. III.

IN ANTITHESI *damnat* (eo sensu quo suprà Proleg. §. V. dictum) *omnes hæreses contra hunc articulum exortas, & vel Unitatem*

... Effent
Personarum
Pria nomi
erna sibiq
Deum & l
ne & tene
& legem M
nem adscr
VALENTIN
ex variis &
ARIANOS ab
bitero, sic
bant, adeo
etiam de S
turam Patri
Creatura
Athanasu
Economio
progenies
planè Filio
non modo
miani à no
contendeb
non necess
Filius M
Patre & Filio
augabantur
lantiozem
Abomere S
pati, quod
nem Person
ren negant,
ad conlanda

tatem *Essentia* Divinae, vel *Trinitatem* & realem distinctionem *Personarum* impugnantes. *Primò* quidem MANICHÆOS à *Manete* Persa nomen sortitos, qui finxerunt duo rerum Principia coæterna sibi que invicem contraria, alterum quidem *bonum*, quod Deum & lucem nominabant, alterum verò *malum*, cui materiae & tenebrarum nomen tribuebant, rerumque malarum, (quo & legem Mosaicam & imperia & Conjugium retulerunt,) originem adscribebant, quos Augustinus ex professo refutavit. *Secundò* VALENTINIANOS seu Gnosticos, quindecim paria Deorum sæonum ex variis & prodigiosis συζυγίαις nata comminiscentes. *Tertiò* ARIANOS ab *Ario*, homine Libyco, Ecclesiae Alexandrinae Presbytero, sic dictos, qui Filium Dei ex nihilo conditum asseriebant, adeoque Patri ὁμοῦσιον καὶ συναείδιον esse negabant; neque etiam de Spiritu S. rectè sentiebant, sed Filium quidem Creaturam Patris ἐξ ἐκ ὄντων productam, Spiritum S. verò Creaturam Creaturae h. e. à Filio productam dicebant, quos cum primis Athanasius & alii solidè confutarunt. *Quartò* EUNOMIANOS, ab *Eunomio* Cyzic. Episcopo nomen adeptos; qui Arianis, quorum progenies erant, in eo adhuc deteriores fuerunt, quod nullam planè Filio cum Patre similitudinem concedebant, eumque non modo ἕτερόσιον sed & κατὰ πάντα ἀνόμοιον (unde etiam *Anomiani* à nonnullis dicebantur) h. e. in omnibus dissimilem esse contendebant, hoc præcipuè usi argumento, quòd τὸ ἀγέννητον necessariò sit ἀνόμοιον τῷ γεννητῷ; Quibus rectè respondit *Basilus M.* eandem τῆς ἑστίας sive essentiae rationem esse in Patre & Filio, sed diversum habendi modum; De Spiritu S. nugabantur iidem, ipsum non quidem Deum, sed tamen præstantiorem esse virtutibus Angelicis. *Quintò* MAHOMETISTAS à *Mahomete* Sec. VII. denominatos, (quibus in Germanico exemplari, quod Chytræus habet, junguntur *Judæi*) qui & ipsi Trinitatem Personarum in una essentia & Filii cum primis Divinitatem negant, & hoc loco inter hæreticos referuntur, quatenus ad constandam religionis suae farraginem in Alcorano conten-

tam

tam etiam veterum hæreticorum, præsertim Arianorum, fermenti participatione usi sunt, uti G. Mylius loquitur. Denique & SAMOSATENIANOS, à Paulo Samosateno à Patriâ, quam cum Luciano Empæcta communem habuit, sic dicto, Ecclesiæ Antiochenæ Episcopo, ortos; eosque tum *Veteres*, qui unam tantum in Divinitate Personam, & Trinitatem nominibus saltem, non re ipsa sive *ὑποστάσει* distinctam esse contendebant, Christum autem merum hominem esse affirmabant; tum *Neotericos*, qui autore *Michaële Serveto*, Medico Hispano, Geneva A. 1553. ob blasphemias ad rogum damnato, veterem illam Samosatensianorum hæresin ex orco revocarunt, quorum vestigia secuti sunt *Georgius Blandrata*, *Franciscus Davidis*, uterque *Socinus*, *Gribaldus*, *Enjedinus*, *Goslavius*, *Smalcus* & alii. Conf. errores *Novorum Arianorum* & *Anti-Trinitariorum*, qui recensentur in F. G. Art. XII. p. 824. De omnibus istis hæreticis *Apologia* p. 50. affirmat, quod revera *extra Ecclesiam Christi sint*, & *idololatras*, *Deumque contumelia afficiant*. Idololatria enim non solum est actus religiosus Creaturæ exhibitus, sed & falsus de Deo sensus ac conceptus, cum de Deo aliter creditur ac sentitur, ac in verbo suo se ipsum revelavit, tanquam Unum in essentia & Trinum in Personis. Quo sensu nostrates aliàs contra *Calixtum* asserunt, & *Judeos* & *Turcas*, quantumvis aliàs ab idololatria crassiore adhorreere videantur, reverà esse idololatras, idolum quippe fictitium cordis sui colentes. Conf. *Catech. Lutheri* p. 503. Et hic primus Confessionis articulus ab adversariis approbatus, nec deinceps in variatâ Confessione ullam mutationem passus est. Ad ista verò, quæ *THOMAS HENRICI* in *Anatom. Aug. Confess.* circà hunc articulum desiderat & carpit, dudum respondit B. OS-ANDER in *Exerc. super 1. Art. p. 9. sqq.* Quid verò nos in Pontificiis Doctoribus majori jure heic desiderare queamus, solidè ostendit *DORSCHÆUS* in *Intervent. pro Mysterio SS. Trinit. & Anti-Cornæo*, qui etiam *malam fidem Papalem* circà probationes SS. Trinitatis peculiari scripto detexit,

§. IV.

Idem planè de hoc mysterio tradit CONFESSIO piæ doctrinæ, quæ nomine Illustrissimi Principis ac Domini D. CHRISTOPHORI, Ducis Wirtembergensis ac Comitis Montispeligardi, per Legatos ejus die 24. mensis Januarii, Anno MDLII. congregationi Tridentini Concilii proposita est. Ita enim illa habet Art. I. de DEO & tribus in una Divinitate personis: *Credimus & confitemur, unum, solum, verum, æternum, immensum esse Deum, omnipotentem Creatorem omnium visibilium & invisibilium: Et in hac unâ & æternâ divinitate tres esse per se subsistentes proprietates seu personas, Patrem, Filium & Spiritum S. Sicut docet Prophetica & Apostolica scriptura, & explicant tria Symbola, Apostolicum, Nicænum & Athanasii.* Et Art. II. de Filio DEI: *Credimus & confitemur, Filium DEI, Dominum nostrum Jesum Christum, ab æterno esse à Patre suo genitum, verum & æternum Deum, Patri suo consubstantialem &c.* Nec non Art. III. de Spiritu S. *Credimus & confitemur, Spiritum S. ab æterno procedere à DEO Patre & Filio, & esse ejusdem cum Patre & Filio essentiæ, Majestatis & gloria, verum ac æternum Deum; Sicut autoritate sacra Scriptura rectè explicuerunt Sancti Patres, in Concilio Constantinopolitano adversus Macedonium.* Ubi notatu digna sunt, quæ Jo. BRETIUS in *Apologiâ* hujus Confessionis PETRO à SOTO respondit. Primo circâ allegationem trium Symbolorum: Nos non agnoscere hæc Symbola aliam ob causam, quàm quia videmus ea esse epitomen quandam, in quam breviter & perspicuè à piis nostris Majoribus collatum sit, quid nobis universa Scriptura de DEO Patre, & unigenito Filio ejus, Domino nostro Jesu Christo, ac de Spiritu sancto sentiendum & credendum proponat. Itaque sive de Symbolis, sive de Conciliis, sive de Scriptis Patrum sermo fuerit, Sacram Scripturam semper antefarendam, & non hanc illis, sed illa huic subjicienda esse. *T. IIX. p. 238.* Deinde circâ vocabulum *Consubstantialis*, (ὁμοούσιος) quo Patres Nicæni usi sunt pro adstruendâ verâ & æternâ filii Deitate: Multas quidem turbas

vocabulum istud excitâsse, & fortassis omnia tranquilliora mansura fuisse, si Majores, ut veterem Sacræ Scripturæ doctrinam, ita etiam vetera vocabula retinuisent. (*Prolegom. p. 209.*) Interim tamen Augustinum rectè dixisse, Patres quidem adversus impietatem Arianorum novum hoc nomen condidisse, (quanquam illud jam antea Scriptoribus quibusdam Ecclesiasticis in usu fuerit) sed non rem novam tali nomine designâsse *p. 293.* Quæ & B. nostri Lutheri circa idem hoc vocabulum mens fuit, cui proinde non nisi per calumniam ab adversariis odium erga illud ipsum passim tribuitur. Videatur CHEMNITIUS in *Locis P. I. p. 109. sq.* & GERHARDUS in *Exeg. L. de Trinit. n. 50. p. m. 349. a.* Denique circa controversiam inter Græcos & Latinos de *processione Spiritus S. à Filio*: Quod ad processionem, ait, Spiritus S. attinet, Scriptura apertè testificatur, Spiritum S. procedere à Patre, & mitti à Filio. Nunc ergò sive dicatur Spiritum S. ex Patre *per Filium*, quod Græci: sive ex Patre *Filioque* procedere, quod Latini contenderunt, non puto salutem Ecclesiæ periclitaturam, si tantummodo verè credamus, Spiritum S. verum ab æterno Deum, & unius ejusdemque Majestatis esse cum Patre & Filio. Certè cum lego controversiam, quæ fuit ea de re inter Græcos & Latinos, plus invenio ibi contentionis, quàm ædificationis. Et non est obscurum, quàm deridendos sese illi exteris etiam gentibus propinaverint, quòd ob duas, ut ipsi loquebantur, minimas vuculas, *ex & per*, universum Christianum orbem perturbarent. *p. 242. sq.* Quòd vero *Afotus* ad verba *Art. III.* Confessionis annotavit, in Concilio Constantinopolitano nihil de processione Spiritûs S. à Patre & Filio definitum, ideoque & alia Concilia recipienda esse; Id facillè admittimus de Conciliis juxta normam Scripturæ S. controversias fidei decidentibus, quorum quanta sit apud nos autoritas, ex allegatis modò exemplis liquet. Id verò ad omnia promiscuè Concilia extendi non patimur. Verbo: Pia Conciliorum decreta probamus: Impia & verbo DEI contraria rejicimus.

Articu-

Articulus II.

De PECCATO ORIGINIS.

§. I.

Peccati Originalis, inde ab Augustini ævo sic dicti, cognitio quàm sit *necessaria*, Apologia docet p. 56. 59. quando ait, quod *magnitudo gratiæ & beneficiorum Christi intelligi non possit, nisi morbis nostris cognitis.* Unde verò cognitio illa haurienda sit, Lutherus ostendit in *Art. Smalcald.* p. 317. scilicet, non *ex ratione*, sed *ex solius Scripturæ patefactione.* Similiter *Formula Concordiæ* p. 653. *Quæstionis hujus* (ait, qualenam accidens sit P. O.) *veram declarationem nullus Philosophus, nullus Papista, nullus Sophista, imò nulla humana ratio, quæ etiam acutissimi sit judicii, proferre potest: sed ejus explicatio è solâ sacra Scripturâ est petenda.*

§. II.

DARI peccatum originis, asserit A. C. his verbis : *Item docent, scilicet, Ecclesiæ apud nos magno consensu, (id quod אִם תִּשְׁנוּוּ semper repetendum esse paulò ante diximus) quòd post lapsum Adæ omnes homines nascantur cum peccato &c.* Probationis loco *Articuli Smalcaldici l. c.* adducunt *Psal. LI. 7. & Rom. V. 12.* quæ duo dicta rem solidè probant. In illo enim *David*, omnium peccatorum suorum originem ostensurus, de connato originis vitio ita conqueritur : *Ecce in iniquitate formatus sum* (חוּלְלִיתִי conf. *Jobi XV. 7.*) *& in peccato concepit me*, sive concipiendo calefecit, (חַמַּתִּי conf. *Gen. XXX. 38.*) *mater mea.* Jam verò non alia fuit *Davidis* conceptio, quàm aliorum hominum, neque is de peccato Parentum suorum in sui generatione admisso, (quæ vanissima *Socinianorum* glossa est) sed de *hereditaria* potius sibi ipsi inde à conceptione & nativitate sua *inhærente* corruptione, tanquam fonte omnium peccatorum actualium, in his verbis loquitur.

tur. In altero verò loco ad Romanos, quem etiam Patres adversus Pelagianos frequenter urserunt, de peccato & morte dicitur, quòd *in mundum introiverint per unum hominem*, ita ut uno Adamo peccante, peccatores constituti sint multi, i. e. omnes, quotquot ab eodem naturaliter descendunt, & morti, quæ stipendium peccati est, omnes, ne infantibus quidem exceptis, facti sint obnoxii. Quo ipso non *propagatio* saltem contractæ per lapsum Adæ corruptionis habitualis, sed & *imputatio* ipsius actus peccaminosi ab Adamo commissi innuitur. Prout imprimis ex collatione Adami *primi & secundi v. sqq.* id luculenter patet.

SEBAST. SCHMIDTUS in h. l. sequentem in modum commentatur: *Unum* istum hominem, per quem peccatum intravit, Adamum esse, quis sanus Scripturæ lector inficias eat? Per hunc enim unum hominem peccatum in mundum intravit, quemadmodum ex ejusdem *unius sanguine Deus fecit omnem gentem hominum habitare super omni superficie terra.* Act. XVII. 26. Nimirum, quatenus ille una caro cum Eva factus est, & hujus caput, à quo denominaretur omnis posteritas. *Peccatum* quid sit in genere, nemo ignorat, scilicet, aberratio à lege, vel illegalitas. Quale verò & quodnam hîc peccatum intelligendum sit, ex circumstantiis & verbis reliquis dijudicandum est. *Intravit id in mundum*, juxta verba Apostoli. Si intravit, in mundo est. Si in mundo existit, non est peccatum actuale, quod in mundo quidem fit, sed transit, nec in mundum intrat. Intravit, inquis, quia cœptum est committi. At, inquam, neque rò committi, neque rò incipi, sufficit verbo *intrare*. Non *illud*, quia rò *intrare* permanentiam in mundo infert. Unde etsi peccatum Adami primum *commissum* rectè dicatur, non tamen illud peccatum particulare in mundum intrasse dici potest. Non *hoc*, quia rò *incipi* de peccato dictum, respicit ipsius actus complementum. Hujus vero respectu in mundum intrasse dici nequit. Hoc fortè dici posset, *peccare* intrasse in mundum, notando consuetudinem vel consuetudinis originem: Sed ita Apostolus non loquitur. Jam *mundus* non mundi hujus machinam, sed omnes homines venientes in mundum, vel ipsam humanam naturam in mundo, significat. Quid enim hoc sibi vellet, peccatum intravisse in hanc mundi machinam? Ergone est aliquid in mundo in se?

se? aut num est in omnibus corporibus hujus mundi? At hoc rectè dicitur, quod peccatum, ut malus habitus, intraverit naturam humanam totam in hoc mundo. Nam, quemadmodum mors in mundum intravit, sic etiam intravit peccatum. *Peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors*: ubi certè prius illud, *intravit in mundum*, repetendum est. Atqui mors ita in mundum intravit, ut ad omnes pertransierit homines; ergò etiam peccatum. Atque hinc mundus, in quem intravit, sunt omnes homines. Si omnes homines; ergò etiam infantes. Ergò non est peccatum hoc actuale, sed habituale. Præterea, peccatum hoc intravit *in omnes homines*, ita ut necessariò sit in omnibus, & homo necessariò peccet. Quemadmodum mors ad homines pertransiit omnes, sive in mundum intravit, ut omnes homines necessariò moriantur, & necessariò mortales sint. Ergò peccatum iterum non potest esse actuale, sed habituale. At mors, inquis, est actualis dissolutio animæ à corpore. Est, inquam, sed etiam mortalitas. 1. Cor. XV. 54. *Quando corruptibile hoc induet incorruptibilitatem, & mortale hoc induet immortalitatem, tunc fiet sermo scriptus, absorpta est mors*, i. e. mortalitas. Sic mors intravit in omnes homines, id est, mortalitas, in qua tamen includitur ipsa mors, quatenus ex ista consequitur. Mortalitas autem habituale malum est causarum vitæ malè dispositarum, ad quam malam dispositionem necessariò mors sequitur. Habemus hætenus ex verbis Apostoli, quod peccatum aliquod *habituale*, & ex hoc mors in naturam irrepsit. Habemus malum propagationis in homines intrasse omnes; quatenus nimirum omnes homines ab uno isto homine originem suam habent. *Et sic*, pergit Apostolus, hoc est, dum per unum & primum hominem, omnium hominum parentem, natura humana in mundo corrupta est, *mors* (& peccatum, ex quo est mors) *in omnes homines pertransiit*. Causam istius propagationis si quæras, respondet tandem Apostolus: *In quo*, vel *quia omnes peccaverunt*, tum, cum iste unus homo peccavit. Alii quidem ita hæc verba accipiunt, ut peccare sit, peccatorem fieri, vel constitui: *In quo omnes peccaverunt*, i. e. dum omnes constituti sunt peccatores. Sed verbum peccare in Scripturâ non ita accipi meminimus. Et præterea nimis durum videtur, verbum activum peccare, interpretari passivè, *peccatorem fieri*. Satius esset, neutraliter accipere, peccare, i. e. peccatorem esse. Sed tempus obstat præteritum. Malumus itaque, quod diximus. Si

ergò in Adamo omnes homines peccaverunt, justè in omnes homines peccatum & mors transierunt. Accedit, quod v. 14. Apostolus ait : *mortem dominatam esse etiam super eos, qui non peccaverunt in similitudine transgressionis Adami.* Ubi quamquam facit eos, qui post Adamum sunt, *ἀμαρτήσαντας* peccantes, tamen dicit, eos non peccavisse, aut peccare, tali transgressione, quali Adamus peccavit; ut nimirum potuerit mors propter peccatum istud ipsorum proprium in ipsos ingredi. Quì sic? Adamus ita peccavit, ut juxta annexam præcepto divino de non peccando comminationem, mors peccatum ipsius actuale secuta sit. Atqui nullus hominum post Adamum ita actualiter peccavit: Sed mors jam dominabatur istis, mortalesque erant, antequam actualiter, ut Adamus fecit, peccarent, aut peccare possent. Id verò manifestissimum est in infantibus, qui vel in ipso matris utero decedunt, quo tempore nullum in ipsis peccatum actuale deprehendere licet. Utut itaque de adultis dici possit, quod illi in similitudine transgressionis Adamicæ vel peccaverint, vel peccent, scilicet actualiter contra Deum; non potest tamen idem de infantibus dici, saltem quibusdam, quippe qui nunquam ita peccarunt, & nihilominus moriuntur. A quibus concludere ad reliquos legitimum est, quod etiamsi peccaverint actualiter, ut Adam, tamen non propter suum istud proprium peccatum, sed propter peccatum Adami moriantur. Jam verò non moriuntur, etiam sine omni peccato, licet moriantur sine actuali suo peccato; juxta id, quod Apostolus ait : *mortem per peccatum intrasse in mundum.* Quare peccatum istud non est actuale, sed *originale*, inde ab Adamo in ipsos propagatum posteris. Idem evincit comparatio Adami cum Christo, in hoc ipso v. 12. inchoata, & ad finem usque capitis prolixè explicata. Eam namque Apostolus ita instituit, ut opponat 1. Adamum & Christum inter se. 2. Adami posteris & fideles Christi. 3. Mortem & vitam. 4. Mortis & vitæ causam, peccatum & justitiam. Ubi quemadmodum justitia, per quam fideles consequuntur vitam æternam, non est ipsorum, aut in ipsis cœpit, sed à Christo in eos derivata, & ipsorum facta est: Sic etiam peccatum, propter quod omnes homines moriuntur, non est ratione ortus ipsorum, nec ab ipsis, nec in ipsis cœpit, sed ab Adamo in ipsos derivatum, & per originem ab eo ipsorum peccatum factum est. *Hæc ille.* Quæ licet paulò prolixiora, pro explicatione tamen loci hujus classici hùc transcribere visum est.

§. III.

ORIGINEM peccati originalis derivat Augustana Confessio à lapsu *Ade*, ita, ut simul modum propagandi innuat, per generationem carnalem, dum ait: Omnes homines *secundum naturam*, seu consuetum & ordinarium naturæ cursum, *propagatos nasci* (imò & *concipi* juxta exemplar Germanicum) *cum hoc peccato*. Quomodo autem illud in liberos propagari possit à Parentibus, negata traductione animæ, in qua principaliter hæret, nemo hactenus dissentientium dextrè explicare potuit. Vid. BERNH. WILDERSENII *Tract. Apolog. de Traduce*. Et conf. Form. Conc. p. 641. 644.

§. IV.

SUBJECTUM hujus peccati dicuntur esse *omnes homines secundum naturam propagati*, quo ipso solus Christus excipitur, qui non secundum, sed supra naturam & per singularem Spiritus S. operationem in utero Mariæ Virginis conceptus & ex ea natus, Lucæ I. 24. seqq. atque ab omnibus peccatoribus segregatus est. Hebr. VII. 26. Neque Pontificii in sic dictâ Confutatione sua de Maria Virgine, quam aliàs cum *Jeremia & Joanne Baptista* à peccati originalis labe immunem fuisse contendunt, quicquam monuerunt, quia litem istam ibi tangere noluerunt; Ubi meritò recordamur ejus, quod BELLARMINUS L. 4. de *amissione gratiæ c. 5.* scripsit: *Apud Papistas non haberi pro re certa & explorata, fide Catholica tenenda, quòd Virgo sine peccato sit concepta*. Vid. SCHERZERI *diff. de conceptione immaculata Mariæ Virginis*. Et D. D. D. WEISMANNI *Introd. in Hist. Eccles. P. II. p. 522. seqq.*

§. V.

FORMAM ejus absolvi dicunt Confessores nostri, partim *privativo*, sive carentiâ justitiæ originalis inesse debitiæ, dum dicunt: *Nasci homines sine metu Dei, sine fiducia erga Deum*: Quibus verbis homini non *actus* solùm, sed ipsam quoque *potentiam* seu *vim ista efficiendi* adimi, adversus cavillationes Confutato-

futato-

futatorum, docet Apologia, cum in exemplari Germanico p. 51. in quo dicitur: *Dasß die Menschen keine wahre Gottesfurcht / keines wahren Glauben an Gott von Natur haben können; cum in Latino p. 54. 55. verbis: non posse DEO credere, non posse Deum timere ac diligere. Partim positivo, (quo ipso termino utitur exemplar German. p. 26. column. a.) quod concupiscentiam vocant, per quam rursus non ipsos solum actus & fructus, seu motus vitiosos, sed & ipsam perpetuam naturam ad carnalia inclinationem intellectam vult Apologia p. 51. In quibus verbis tamen id carpit Bellarminus, quod eo ipso peccatum originale à peccatis actualibus, tanquam fructibus suis, non satis distinguatur. Verum, quemadmodum aliàs in descriptionibus rerum non ea solum memorari solent, quæ ipsam rei formam constituunt, sed & quæ istam à posteriori ostendunt atque signant; ita & hiis actus seu fructus ad peccatum originis referuntur, non formaliter, seu tanquam aliquid constituens ipsum peccatum originis, sed tantum ut effectus & signa, ex quibus corruptus iste habitus cognoscitur, & ut ostendatur, quod peccatum originis nunquam sit otiosum, nunquam absque actualibus peccatis, (quæ etiam in infantes cadunt, licet *ἀνευ προαιρέσεως*) sed semper operosum & actuosum, quo sensu & actuale Luthero aliisque Theologis quandoque dictum fuit.*

§. VI.

Hanc verò Concupiscentiam, sive pravam ad carnalia conversionem & inclinationem, non in appetitu solum sensitivo, sed vel maximè in *superioribus anima viribus*, ipsoque adeo intellectu & voluntate hærerè, sæpè monet Apologia p. 54. 55. quando de eâ ait, quod *carnalia querat contra verbum DEI, h. e. non solum voluptates corporis, sed etiam sapientiam & justitiam carnalem & confidat his bonis &c.* ubi rursus in German. exemplari (p. 26. col. a.) valde emphaticè sonant verba: *Sondern auch eine böse Lust und Neigung / da wir nach den allerbesten / höchsten Kräfften und Liecht der Vernunft / dennoch fleischlich wider Gott geneigt und gesinnet seynd.*

§. VII.

Descriptionem hanc peccati originalis, quæ & defectum justitiæ originalis, & vitiosum, qui in ejus locum successit, habitum simul complectitur, non cum Scripturâ solùm, sed & Veterum definitionibus concordare docet *Apologia p. 53. §. Neque novi quicquam diximus &c.* Ubi simul doctrinam orthodoxam de *immagine Dei* contra Scholasticos eorumque dialecticas quæstiones exponit, allegatis in hanc rem & dictis Scripturæ, & Patrum testimoniis, in specie AMBROSII, cujus verba interrogativè sonantia: *Non ergò anima ad imaginem Dei est, in qua Deus semper est?* in propositionem categoricam & negativam convertit: *Non est ergò anima ad imaginem Dei, in qua Deus non semper est.* Deinde & ad Longobardum s. Lombardum provocat, nec variantes Patrum sententias dissimulat, quas recenset MYLIUS in *Explicat. Aug. Conf. p. 39.* & GERHARD. in *L. de Imag. §. 26.*

§. IIX.

Ceterùm ut phrasis ista, qua peccatum originis etiam in *positivo* consistere dicitur, rectè intelligatur, notandum, nil aliud per eam significari, quàm quod peccatum originis non sit nuda absentia justitiæ originalis, sed & corruptionem hominis profundissimam atque totalem conjunctam habeat. Quia enim adversarii affirmant, peccatum originis meram esse doni supernaturalis privationem, ipsam verò naturam in se permanisse integram, qualis ab initio fuerit condita; Hinc factum, ut ad errorem istum refellendum Theologi nostri terminum *positivi* assumerint, non quidem in sensu & rigore *Metaphysico*, quo aliàs positivum entitatem quandam denotare solet, sed in sensu *Ethico*, quemadmodum aliàs vitia virtutibus non tantùm privativè, sed & contrariè opponuntur; adeoque termino isto hoc duntaxat innuere volunt, quod peccatum originis non solùm abstulerit justitiam, sed simul corruerit naturam, ita, ut naturalia post lapsum non manserint integra & illæsa; Quo sensu

fu etiam THOMAS in *Apologia* allegatus p. 55. peccatum originis habitum corruptum appellavit, idque sequentem in modum exposuit: *Sicuti aegritudo corporis habet aliquid de privatione, in quantum tollitur aequalitas temperamenti & sanitatis, & aliquid positivum, ut ipsos humores inordinate dispositos: Ita peccatum originale non est pura privatio, sed corruptus quidam habitus.* In quæ verba Cajetanus ita commentatur: Corruptio contra puram privationem distinguitur; hæc enim dat negationem in subiecto apto nato, illa verò addit positivum contrarium, fundans illam negationem. Quodsi nobiscum agnoscerent adversarii, concupiscentiam pertinere ad peccatum originis & verè peccatum esse, non multum amplius de termino *positivi* cum ipsis litigare vellemus, inquit SCHERZERUS in *System.* p. 145. Conf. GRAUERUS in *August. Confess. Art. II. p. 251. sqq.* Nec non B. OSYANDER in *Collegio System. L. de Pecc. Th. V.*

§. IX.

Concupiscentiam verè peccatum esse, in terminis dicitur in hoc articulo, non *causaliter* solùm & metonymicè, quia ad peccandum incitat, juxta *Concil. Trident. Sess. V.* sed & *formaliter*, quia non cum lege solùm primævæ institutionis, uti Bellarminus distinguit, sed cum ipsa lege morali, integritatem totius naturæ exigente pugnat, id quod *Apologia* probat p. 57. ex loco classico Rom. VII. 23. sqq. contra adversarios contententes, concupiscentiam non esse vitium in homine, sed *ἀδιάφορον*, uti adversa valetudo *ἀδιάφορον* dicitur; Quam ipsorum assertionem non Scripturæ solùm, sed & toti Ecclesiæ adversari ibidem docet, quando ait: *Quis unquam ausus est dicere, hæc esse ἀδιάφορα, etiamsi perfectus consensus non accederet,* (qui motus concupiscentiæ primi, quos in primo- & secundo- primos distinguunt, appellari solent) *dubitare de ira Dei, de gratia Dei, de verbo Dei &c.* Neque contrarium argumentis è Philosophia desumptis: α. quòd *propter passiones nec boni nec mali simus*; β. quòd *nihil sit peccatum*

catum, nisi voluntarium; γ. quòd natura non sit mala &c. probari potest, cum duæ priores sententiæ valeant quidem in iudicio civili, sed non in iudicio Dei; tertia verò de natura, prout à Deo primùm creata est, non autem de natura corrupta, qualis post lapsum propagatur, intelligi debeat. v. Apol. p. 58.

§. X.

Interim nihil obstat, quo minus eadem concupiscentia simul *peccatum*, & quoque *pæna*, imò & *causa* peccati rectè dicatur, p. 57. sq. quod passim AUGUSTINUS monet. *Peccatum* quidem, quatenus est malum morale, sive *ἀνομία*; *Pæna* verò peccati, quatenus simul est malum molestum, quemadmodum ex opposito iustitia originalis & bonum morale & bonum simul utile & jucundum erat; & denique *causa* peccati, quatenus est radix & fons omnium peccatorum actualium. Jacobi I. 15. Utrum verò etiam *privatio* Iustitiæ Orig. rectè dicatur *pæna* lapsus, sunt qui dubitant, eò quod *naturale* potius ejus *consequens* esse videatur; Nullum verò est dubium, quin rectè dicatur utrumque, quia non solum *naturaliter* & *meritorie*, sed & *actu judiciali amissa fuit sanctitas concreata*, uti B. WÖLFFLINUS ait in *Tr. de L.A.* p. 87. planè conformiter *Formula Concordia*, quæ p. 643. per *lapsum, iusto DEI iudicio, in pœnam hominum, iustitiam originalem amissam esse*, docet in terminis.

§. XI.

Peccatum originis etiam post baptismum manere scripsit Lutherus, damnatus propterea à Leone X. Apologiæ verò in adversariis Lutherum propter hanc ipsam thesin flagellantibus p. 56. *manifestam calumniam* notat, cum sensus ejus non sit alius, quam quod baptismus tollat *reatum peccati originalis*, quem communiter formale ejus appellant, *etiamsi materiale ejus, videlicet concupiscentia, maneat in renatis*; Quanquam & id verum sit, quòd *Spiritus S. datus per baptismum incipiat eam mortificare, & novos motus creare in homine*. Sermo autem est de reatu non

activo, qui peccato inseparabiliter adhæret, sed *passivo* ex parte subjecti, qui per remissionem tollitur; Quo sensu & AUGUSTINUS scripsit *L.I. de Nupt. & Concupiscent. c. 25.* *Concupiscentiam carnis dimitti in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur; Quod ipsum Augustini dictum Apologia innuit, quando p. 56. ait, Augustinum dicere: Peccatum in baptismo remittitur, non ut non sit &c.* Quam allegationem mendacii postulant adversarii, ideò, quia verba formalia Augustini non loquantur de *Peccato*, sed de *concupiscentiâ*, quam illi verè peccatum esse, & ad formale peccati originalis pertinere negant. Cùm verò ipse Augustinus peccatum originis alibi definiat per *Concupiscentiam*, prout *Apol. p. 54.* dicitur, manifestum est, ex mente Augustini has duas propositiones: *Peccatum originis manet; Et: Concupiscentia manet post baptismum*, esse æquipollentes; Quod enim de definitione rectè dicitur, id procul dubio etiam de definito verè dici potest.

§. XII.

Eo ipso autem, quia hic morbus seu vitium originis verè peccatum est, etiam *mortem* non solum temporalem, sed & *æternam* & meretur, & *nunc quoque*, postquam Christus pro peccato originis, quemadmodum & pro omnibus peccatis actualibus, satisfecit, actu *affert, omnibus iis, qui non renascuntur per baptismum & Spiritum S.* uti verba articuli habent. Ex quo tamen non sequitur, quod omnes infidelium liberi extra Ecclesiam nati damnentur, prout quidem PAULUS TARNOVIUS *Comm. sup. Joh. P. 1. c. 3. Q. 5.* ex his verbis & ex *Antithesi articuli noni* colligere voluit. Multò minus id de infantibus Christianorum *non-baptizatis* dici debet; Licet enim regeneratio ordinariè fiat in infantibus per baptismum, extraordinariè tamen etiam per immediatam Spiritus S. operationem fieri potest, id quod Augustana Confessio in his verbis non negat, sed solum *absolutam* necessitatem renascentiæ seu regenerationis, & *ordinatam* baptismi innuere voluit. Idem confirmat *Apologia p. 51.* quando inter errores adver-

adversariorum refert, quod quidam dicant, *neminem damnari morte aeterna propter P. O.* Et p. 58. ubi ait, quod concupiscentia sit *res naturâ digna morte, ubi non condonatur.* Pariter & Formula Concord. p. 641. *Pena, ait, peccati originalis, quas Deus filiis Adæ, ratione hujus peccati, imposuit, hæ sunt: mors, aeterna damnatio, tyrannis & dominium Satana &c.* Quidam in hæc materiâ distinguunt inter causam damnationis *sufficientem & adæquatam,* & P. O. causam quidem damnationis sufficientem, sed non adæquatam rectè dici censent. Et de adultis quidem res certa est, quod nemo eorum propter solum P. O. damnatur, sed simul propter peccata actualia, quæ ex illo ortum trahunt, & immediatè quidem propter infidelitatem; id quod *glossa Lutheri marginalis* innuere videtur, ad *Joh. XV. 22.* *Durch Christum ist die Erb. Sünde aufgehoben / und verdammt nach Christi Zukunft niemand / ohne wer sie nicht lassen / das ist / wer nicht glauben will.* Infantes verò quod attinet Gentilium, circà quæstionem: num illi damnentur, necne? plerisque Theologis nostris placet *ἐπιχειν;* Quodsi damnantur, (quod tamen pro certo affirmari absque remeritate nequit) certè P. O. causa damnationis eorum & sufficientis & adæquata erit, nisi quis forte prævisam eorum actualem infidelitatem huic jungere velit. Conf. si placet, *Judicium Argentorat. in causâ Latermanni p. 43. sq.*

§. XIII.

IN ANTITHESI hujus articuli secundi damnantur *Primò PELAGIANI,* à *Pelagio,* Monacho Britanno, sic dicti, quem Augustinus Gratia inimicum appellavit, quòd asseruit, posse hominem sine gratia facere omnia Dei mandata; & quanquam à fratribus increpatus adjutorium aliquod gratia Divina postea admiserit, illud tamen ad hoc solùm necessarium esse dixit, ut eò *facilius* mandata Dei impleantur; Adeoque gratiam quidem hominibus dari, sed eò solùm sine dari docuit, ut, quæ sine ea difficulter facere & implere posset homo sibi relictus, eo faciliùs implere possit gratiâ adjutus. De cetero *flosculi Pelagianorum*

rum in hoc articulo potissimum sequentes erant: 1. Adamum, etiamsi non peccasset, moriturum tamen fuisse, ipsa lege seu conditione naturæ, quo ipso fundamento subdole sententiam suam confirmare voluerunt, ne mors pœna peccati esse videretur. 2. Peccatum Adami ipsi soli nocuisse, non ejus posteris. 3. Peccatum originis liberos à Parentibus neque trahere neque habere. 4. Concupiscentiam, quæ naturâ hominibus inest, esse bonam, totamque hominis naturam etiam post lapsum integram & incorruptam mansisse, ita, ut in rebus etiam spiritualibus benè operari & legem Dei implere possit, nullo accedente gratiæ internæ adjutorio. 5. Peccatum exemplo & imitatione contrahi, non *imputatione & propagatione*. Quæ ipsa hæresis tùm scriptis Patrum, Augustini præsertim, Hieronymi & Ambrosii, tùm variis in Synodis, Carthaginensi, Milevitana, Arausicana, apertè damnata fuit. Quo tamen non obstante serpsit latissimè, & diu admodum duravit, ita ut ad nostra etiam tempora impuritatis suæ fæces transmiserit. V. *Appendix RECHENBERG. p. 241.* Inprimis autem VOSSIUS & NORISIUS in *Historia Pelagianismi*. E nostris B. CHEMNITIUS in *Loco de libero arbitrio C. 8.* ubi ex historia ostendit, quomodo Pelagianismus in Pontificiorum Scholas irrepsit. Et D. D. D. WEISMANNI *Hist. Eccl. P. I. p. 386.*

§. XIV.

Secundo damnantur ET ALII, qui vitium originis negant esse peccatum; Quemadmodum non solum Anabaptistæ palàm docuerunt, nec peccatum, nec mortem corporalem trahi ex Adamo, omnia enim morte Christi ita sublata esse, ut infantes nascantur à vitio immunes, ideoque Baptismo non indigeant; Vid. F. C. p. 826. n. II. eò impudentiæ progressi, ut peccatum originis commentum Augustini dixerint, quod simile sit Mathematicorum hypothesibus de eccentricis & epicyclis; Sed & Zwinglius in Confessione suâ Art. 4. peccatum originale, ut est in filiis Adæ, propriè peccatum esse negavit ex hac ratione, quia non sit facinus contra legem.

Verba

Verba ejus in Confessione, vel ut ipse loquitur, *Ratione fidei* Tiguri tertio die Julii MDXXX. scriptâ & Casari Augustam proprio motu transmissa ita sonant: De Originali peccato sic sentio: *Peccatum verè dicitur, cum contrà legem itum est*: Ubi enim non est lex, ibi non est prævaricatio. Et ubi non est prævaricatio, ibi non est peccatum propriè captum, quatenus scilicet peccatum, scelus, crimen, facinus aut reatus est. Patrem igitur nostrum peccavisse fateor peccatum, quod verè peccatum est, scelus scilicet, crimen ac nefas. At qui ex isto prognati sunt, non hoc modo peccarunt, quis enim nostrum in Paradiso pomum vetitum depopulatus est dentibus? Velimus igitur nolimus admittere cogimur, peccatum originale, ut est in filiis Adæ, non propriè peccatum esse, quomodo jam expositum est, non enim est facinus contrà legem. Morbus igitur est propriè & conditio. Morbus, quia sicut ille ex amore sui lapsus est, ita & nos labimur. Conditio, quia sicut ille servus est factus & morti obnoxius, sic & nos servi & filii iræ nascimur, & morti obnoxii. Quamquam nihil morer hunc morbum & conditionem juxtà Pauli morem adpellari peccatum. Imò tale esse peccatum, ut quicumque in eo nascuntur, hostes & adversarii DEI sint, hùc enim trahit illos nativitatis conditio, non sceleris perpetratio, nisi quantum hoc semel perpetravit primus parens. Vera igitur perduellionis & mortis causa est perpetratum ab Adamo crimen ac nefas. Atque hoc verè est peccatum. At peccatum istud, quod nobis adhærescit, & verè morbus, & conditio, immò necessitas est moriendi. Hoc tamen numquam futurum fuisset per nativitatem, nisi crimen nativitatem vitiaffet, criminis igitur tamquam causa, non nativitatis, est humana calamitas. Nativitatis verò non aliter quàm ejus, quod ex fonte & causa sequitur. Confirmatio hujus sententiæ, auctoritate & exemplo nititur. Paulus Rom. quinto sic loquitur: Si enim propter unius peccatum mors imperium obtinuit per unum, multò magis &c. Hic videmus peccatum propriè capi. Unus enim Adam est, cujus culpâ mors cervicibus nostris imminet. Cap. tertio sic inquit: Omnes enim peccaverunt & egent gloria, hoc est, bonitate & liberalitate, DEI. Hic peccatum pro morbo, conditione & nativitate accipitur, ut omnes peccare dicamur, etiam antequam profundamur in lucem, hoc est in conditione esse peccati & mortis, etiam priusquam actu peccemus. Quæ sententia irre-

irrefragabiliter firmatur ejusdem iterum verbis, Rom. quinto : Sed obtinuit aut pervasit mors ab Adam, usque ad Mosen, in illos quoque qui non similiter, atque Adam transgressus erat, peccavissent. En nobis mortem, etiamsi non peccaverimus quomodo Adam. Quamobrem? Quia ille peccavit. Nos autem cum non hoc modo peccaverimus, cur mors populatur? Quia ille mortuus est propter peccatum, & mortuus, hoc est, morti adjudicatus nos generavit. Morimur ergo & nos, sed illius culpâ, nostrâ verò conditione & morbo, aut si mavis peccato, verum impropriè capto. Exemplum tale est. Bello captus perfidia & inimicitia commeruit, ut servus teneatur. Qui ex illo progenerantur *εικέται*, hoc est vernæ, aut domi nati, fiunt servi, non culpa, reatu aut crimine, sed conditione, quæ culpam secuta est. Nam parens ex quo nati sunt, scelere hoc commeruerat. Nati scelus non habent, sed pœnam ac multam sceleris, puta, conditionem, servitutem, & ergastulum. Ista si scelus libet adpellare, idè, quia pro scelere infliguntur, non veto. *Istud originale peccatum, per conditionem & contagionem adnasci omnibus, qui ex adfectu maris & fœmina gignuntur, agnosco.* Et nos esse naturâ filios iræ scio, sed gratia, quæ per secundum Adam, Christum, casum restituit, inter filios Dei recipi non dubito. &c.

Similiter & quidam Pontificiorum olim disputarunt, peccatum originis non esse aliquod in naturâ hominis vitium seu corruptionem, sed tantum servitutem seu conditionem mortalitatis, quam prognati ex Adam sustineant, sine aliquo proprio vitio propter alienam culpam. Apol. p. 51. Quare & hi, & unâ omnes illi damnantur in hâc antithesi, qui, ut extenuent gloriam meriti & beneficiorum Christi, disputant, hominem propriis viribus rationis coram Deo justificari posse, p. 10. Id quod Scholasticis falsò imputari contendit præter alios BELLARMINUS, qui ipse tamen L. 5. de Gr. & Lib. arb. c. 13. fatetur, Scholasticos quosdam, sed paucos, scripsisse : *Hominem ex puris naturalibus posse Deum diligere super omnia, quæ sententia fuit Durandi, Bielii, Cajetani, aliorumque.* Sive autem plures fuerint, sive pauci, qui ita olim senserunt, certè à mendacio absolvitur Apologia, quæ Scholasticis hanc

hunc errorem tribuit, p. 52. quod *natura humana integra vires ad diligendum Deum super omnia, & ad facienda Dei præcepta, quoad substantiam actuum, etiam post lapsum competant: Cujus asserti exempla plusquam trecenta collegit WILH. HOLDERUS in Tractatu, cui Tit. de duobus Sanctis Congruo & Condigno, heic Tubinga A. 1590. edito.* Quanquam negari non possit, fuisse nonnullos quoque Scholasticos, qui ad definitionem veterum ab Apologia allegatam propius accesserint, prout ipsa ostendit p. 55.

§. XV.

MUTATIO in hoc articulo facta in *thesi* quidem nihil continet, quod cum veritate & sententia Ecclesiæ nostræ pugnet, & eatenus planioris tantum explicationis gratia, atque ad vitandas Pontificiorum calumnias, à Philippo facta fuisse videtur; in *Antithesi* verò elisit hæc verba: *Et alios*, quasi scilicet sola Pelagianorum hæresis hoc anathemate notata sit; Id quod sine dubio in gratiam Zwinglianorum factum, non sine manifesto veritatis præjudicio. Quod si enim præter Pelagianos nemo alius fuit, qui doctrinæ in hoc *art. II.* contentæ sinceritatem corruperit; eccur in prima editione & in ipso exemplari Latino & Germanico Imperatori exhibito præter istos & alii damnati fuerunt? Deinde & *Apologia* nominatim Scholasticos iterum atque iterum expressit, quorum doctrina cum hoc articulo è diametro pugnet, quibus non poterit non injuria facta videri, si mutatio ista rectè se haberet, quod & Pontificii quidam in scriptis publicis notarunt, contendentes, Philippum ea decennio post retractasse, quorum anno trigesimo Scholasticos falsò insimularit. Id verò in variatâ illa Confessione cum primis notari meretur, quod in ea *reatus* quoque, quem in Adamo omnes contraximus, primo statim loco expressa mentio fiat. (Quemadmodum & in *Form. Conc. p. 640. reatus* primo loco, secundo *defectus* seu privatio justitiæ originalis, & tertio *habitus* vitiosus ponitur.)

Ex quo B. WÖLFFLINUS de *Lapsu Adami Exerc. VI. p. 116* imputationem peccati Adamitici Ecclesiæ Evangelicæ doctrinam esse probat, & ait: *Licet variata ista editio nullo modo approbetur, neque pro legitima habeatur à nostris Ecclesiis, constat tamen, eandem nullius mutationis periculosa esse insimulatam quoad hunc articulum secundum, quamvis in rejectione secus sentientium pro periculosa habeatur omissio verborum: & alios. Proinde sententia quidem Ecclesiarum nostrarum in ista mutata editione non fuit proposita formaliter sub ratione Symbolicæ Confessionis, materialiter tamen eam expressam esse negari nequit, cum imputatio ista primi peccati ab Evangelicis communiter asseratur.*

§. XVI.

In ARTICULIS SMALCALD. P. III. peccatum hoc non solum in *Art. I. hereditarium, principale, & capitale peccatum, tetra & profunda totius nature corruptio appellatur, & portenta errorum DD. Scholasticorum de residuis post lapsum viribus naturalibus ad bonum, tanquam mera caligines, & dogmata verè & merè Ethnica, qua tolerari nequeant, graviter perstringuntur, p. 317. sq.* Sed & in *Art. III.* dicitur, *impossibile fuisse Pontificios rectè docere de pœnitentiâ, cum verum peccatum non rectè agnoverint, neque de Peccato originali rectè senserint, agentes, naturales vires hominis mansisse integras & incorruptas &c.* ex quo falso dogmate sequatur, tantum ob actualia peccata agendam esse pœnitentiam. *p. 321.* Quod cum oppidò absurdum sit, facilè apparet, quanti momenti sit vera de P. O. doctrina, omni proinde studio & cura in Ecclesiâ DEI retinenda.

§. XVII.

In FORMULA CONCORDIÆ de peccato originis agitur *art. I. p. 572. 639.* contra *Flacianos*, peccatum originis ipsam hominis substantiam appellantes. Quæ controversia orta fuit A. 1560. in disputatione *Vinariensi*, quam MATTHIAS FLACIUS Illyricus, Theologus aliàs insignis & benè meritus, cum VICTORINO STRIGELIO Synergista habuit; Cum enim hic peccatum originis

ginis nimis extenuaret, illudque *leviculum* saltem *accidens* esse contenderet, quod naturam & substantiam hominis corrumpere nequeat, Flacius in fervore disputationis ad alterum extremum delapsus, peccatum originis ipsam hominis *substantiam* appellavit, & sæpius licet hæc de re monitus, quod aliud sit natura hominis, substantia vel essentia, & aliud peccatum in natura hærens, sive profundissima ejus corruptio, in defendenda tamen hac phrasi pertinacior fuit, illamque omnibus modis *φυλάττειν* voluit; in quo sine dubio haud leviter peccavit. Quamquam de cœtero nonnulli (forsan non malè) distinguant inter *mentem* & *verba* Flacii, eumque malè quidem locutum esse, sed tamen rectiùs sensisse, & nihilominus discrimen aliquod inter peccatum & hominis substantiam agnovisse arbitrantur, idque ex eo potissimum colligunt, quòd inter hominem *physicè* & *Theologicè* spectatum subinde distinxit, ipsamque corruptionem, quemadmodum & ei oppositam integritatem, sive justitiam originalem, formam substantialem hominis & substantiam formalem appellavit, hoc sensù, quod integritas illa homini integro, quæ tali: & ex opposito corruptio homini corrupto, quæ tali, det suum esse formale, à quo vel integer vel corruptus denominetur; à quo tamen loquendi modo satius fuisset abstinere, præsertim ubi eam aliis scandalo esse & Ecclesiam tantopere turbari cognoverat. Ita TOBIAS RUPPIUS, Minister Ecclesiæ Lindaviensis Flacianismo addictus, in Colloquio cum D. JAC. ANDRÆ A. 1575. habito, mentem suam tandem in hunc modum declaravit, quod omninò discrimen agnoscat inter naturam hominis, quæ constat corpore & anima, & inter peccatum originis; quamquam inter hominem corruptum & P. O. nullum planè intercedat discrimen, sed hæc duo unum idemque sint. Theologi verò Wirtembergici & Argentoratenses, in judicio suo de Colloquio isto, hunc ipsum, modum loquendi pro *inuitato* & *periculoso*, & propterea in Ecclesiâ Christi minime ferendo, unanimiter declararunt. Vid. *Acta Colloquij Lindaviensis Tub. A. 1576. edita*,

eum annexis. Tandem his ista, quæ per plures annos duravit, post varia passim locorum instituta colloquia, decisa fuit in Formula Concordiæ, cujus summa quoad hoc punctum huc redit: *Quanquam peccatum originale sit ineffabile malum, & tanta natura humana corruptio, qua in natura omnibusq; ejus viribus nihil boni reliquerit* (p. 653.) *ita, ut jam distinctè monstrari nequeant hæc duo, ipsa natura sola, & peccatum originale solum,* (p. 645.) non tamen est ipsa hominis substantia, natura & essentia, qua anima & corpore constat, sed aliquid *IN ipsa hominis natura, corpore, anima, omnibusque viribus hominis hærens, adeoque accidens,* (à quibus tamen terminis Philosophicis in concionibus publicis coram simplici plebe abstinendum esse benè monet p. 651.) Neque verò per hoc, si modo terminus dextrè explicetur, peccatum originis extenuari putandum est, juxtà p. 653. cùm & ipse Lutherus in hoc negotio sæpè usus sit vocabulo qualitatis & accidentis, qui tamen aliàs contrà extenuationem peccati originalis magno Zelo differuit, ejusque atrocitatem & magnitudinem interdum istiusmodi phrasibus expressit, quas pro se allegarunt Flaciani, dum v. g. dixit: *Peccatum & peccare esse corrupti hominis naturam;* Item: *Totam substantiam hominis esse peccatum,* hoc est, peccato pollutam; Quin & peccatum originis quandoque peccatum natura, substantiale & essentiale appellavit, quia tota hominis natura per P. O. totaliter est corrupta, ita ut nihil sinceri, nihil sani prorsus in eâ sit relictum p. 654. & quia in primo conceptionis nostræ momento ipsum semen, ex quo homo formatur, peccato contaminatum est. p. 644. Proinde & propter hanc ipsam corruptionem tota hominis natura per legem accusatur & condemnatur, nisi peccatum propter Christum remittatur. p. sq. Vid. omninò p. 651. ubi istiusmodi phrasès Lutheri ex professo vindicantur.

§. XIIX.

Quanquam verò error ille Flacianorum in se adeò crassus & monstrosus sit, ut eum recitasse sit refutasse, si quidem termini

mini *substantia* & *accidentis* in usitato & genuino suo significa-
 tu accipiantur, tamen *Formula Concordiæ* quasi ex superfluo plu-
 ribus ostendit, quod cum præcipuis fidei nostræ Christianæ ar-
 ticulis pugnet, adeoque in Ecclesiâ tolerari nequeat; inprimis
 cum articulo de *Creatione*. p. 646. *Redemptione*. p. 648. *Sanctifica-
 tione* & *Resurrectione*. p. 649. 1. *Quia* enim humana natura etiam
 post lapsum est creatura DEI, si peccatum originis esset ipsa
 substantia hominis, sequeretur, aut Deum esse peccati aucto-
 rem, quod impium; aut, cum peccatum sit opus Diaboli,
 ipsum Satanam esse naturæ nostræ creatorem, quod non mi-
 nus absurdum est & impium asserere p. 647. & seq. 2. *Quia*
 Christus humanam nostram naturam assumpsit. Hebr. II, 16. 17.
 nobisque per omnia similis factus est, excepto peccato, se-
 queretur, eum aut naturam humanam nobis consubstantialem
 non assumpsisse, aut assumpsisse etiam peccatum, hocque rede-
 misse, quod utrumque S. Scripturæ repugnat. p. 648. 3. *Quia*
 Deus hominem à peccato abluit, emundat & sanctificat, non
 ipsum peccatum; necesse est, peccatum originis non esse ipsum
 hominem. Denique 4. *Quia* substantia hujus carnis nostræ
 aliquando resurrectione est, ita, ut in vita æterna idem corpus
 & eandem animam quoad substantiam habituri simus, sed sine
 peccato, quod in electis non resuscitabitur, multò minus glo-
 rificabitur, sed planè *abolitum erit* p. 574. seq. & 649. conf.
Catech. maj. p. 501. rursus manifestum est, peccatum non esse
 ipsam hominis substantiam. Plura alia argumenta ex Scrip-
 tura & ratione petita addidit HUTTERUS in *explicatione Libri
 Concord.* p. 62. seqq.

§. XIX.

Ceterum ANTITHESIN hujus articuli ita format F. C. ut &
Pelagianorum ex una, & ex altera parte *Manichæorum* erro-
 res, tam veterum quàm recentiorum, vitare jubeat. Priores re-
 censet p. 642. Posteriores p. 643. Ubi certè dubium non est,
 quin sub nomine *Manichæorum recentiorum* p. 649. Flaciani notati

fuerint, & rectè; Quanquam enim ij, iudice B. GERHARDO in L. de P. O. p. 142. Manichæos non in omnibus, tamen in eo sunt sequuti, quod P. O. *substantiam malam* dixerunt.

§. XX.

Quanquam autem vix operæ pretium sit, ut argumenta Flacianorum de novo in medium proferantur, quibus ad eò nihil saporis inest, ut potius nauseam & stomachum lectori movere queant, tamen, ut constet, quam futilibus argumentis palpabilem hunc errorem suum Flacius, cujus laudibus aliàs nihil detractum volumus, incredibili pertinaciâ defendere ac palliare conatus fuerit, saltem potiora heic adducemus, & quæ præ reliquis speciem aliquam habere videri poterant, idque ex epistolâ *Tilem. Heshusii* ad Flacium d. 10. Augusti A. 1568. amicissimè scriptâ, in quâ singula breviter recensuit & diluit, sed, quod dolendum, sine fructu.

Verba ejus, à nobis in compendium redacta, ita habent: Scriptura, inquit Illyrice, *victimas & Christum vocat peccatum* 2. Cor. V, 21. Ergò *peccatum est substantia*. Sed quid hoc ad controversiam, quâ quaeritur, quid propriè sit peccatum originis in homine? Peccatum Prophetis & Apostolis aliàs rem ream Dei iudicio notat; aliàs ipsam vitiositatem, quæ reatum meretur. Jam, cum quaestio sit de ipsa vitiositate, cur tu *victimas* hùc trahis? Plus coloris habet argumentum *de Imagine DEI*, quam audacter dicis *fuisse substantiam*: At, Paulo teste, constat, Imaginem DEI fuisse non ipsam animæ substantiam, sed in mente lucem veritatis & veræ notitiæ DEI, justitiam seu rectitudinem in voluntate, quæ non per se subsistunt & proinde substantia dici non possunt. Quod cum asseris, novam profectò introducis rationem loquendi toti antiquitati ignotam. Scio autem, quid verearis; Si justitia originalis non sit ipsa substantia animæ, consequi putas Scholasticorum dogma: Naturalia hominis mansisse integra, & ita Christum frustra esse missum. Atqui consecutionem illam constanter pernego, cum totus homo per peccatum atrociter corruptus imò spiritualiter mortuus sit. Provocas ad *Lutherum*, qui asserit, *justitiam originis fuisse de essentia hominis*: Sed

is plus non vult, quàm quod iustitia originalis fuerit præcipua & optima pars hominis integri, hæc verò quia amitti potuit, non fuit substantia Adami, sed qualitas ei inhærens; (Eodem sensu *Jac. Andrea* in Epistolâ suâ ad *Flacium* ait : P. O. ad hominis corrupti, quâ talis, essentiam pertinere, quia sine eo homo peccator non sit : quemadmodum nec justus absque iustitia originali ; & hoc modo, ait, peccatum originis rectè vocari essentiam seu aliquid essenziale, quod ad essentiam hominis *peccaminosi*, quâ talis, pertineat ; nec tamen esse ipsam hominis Naturam & substantiam, quæ DEI opus est ; sed accidens, quod homini inest mutabiliter.) Impii dicuntur *filij vel semen Satanae*, non quod substantiam habeant à Satanâ, hoc enim esset absurdissimum ; nec quod sint conditi ab ipso, quod sentire esset blasphemum ; sed quod ductu Satanæ ferantur, ejus opera imitentur, ejusque nutui, tanquam mancipia, obtemperent. Verba *Augustana Confessionis*, quibus te munire conaris, nimis violenter contorques ; at hoc non est hominis Christiani, nedum Illyrici, qui hæctenus Ecclesiam magna fide erudivit. Audacter contendis, *omnia hæc vocabula*, (corruptionem, defectum, concupiscentiam, inordinatam dispositionem) *substantiam significare*. Ego verò existimo, hoc Philippo ne per somnium quidem in mentem venisse ; Corruptio enim non est substantia, sed substantiæ destructio. Defectum verò substantiam dicere vix puto sanæ mentis esse ; Sed porrò instas & dicis : *corruptio novam inducit formam, & hæc dat esse rei*, idque exemplo aceti & casei vis illustrare. De hoc viderint Physici, nam istæ ineptiæ hic locum non habent. (Corruptio hereditaria dat esse homini corrupto, quâ tali, & novam inducit formam accidentalem, à quâ homo denominatur corruptus. Substantia certè non est. Satanus illius corruptionis auctor est, hunc verò nullius substantiæ conditorem esse constat.) Scriptura utitur in descriptione P. O. *verbis substantialibus*, quando nominat *carnem, veterem hominem, corpus peccati* : Loquitur autem in concreto, & subjectum P. O. simul connotat ; (alias verò P. O. ab ipso homine sat clarè distinguit, dum vocat *κακὸν παρακείμενον*, Rom. VII, 21. *ἀμαρτίαν ἐνπερίστατον*. Ebr. XII, v. 1. *καὶ ἐνικῆσαν*. Rom. VII, 17.) *Cor* dicitur *fons peccatorum actualium*, Matth. XV, 19. non per se, sed *κατ' ἄλλο*, nimirum, quatenus corruptum. Ita & totus homo pugnat cum lege, verùm non secundum naturam, sed naturæ vitium. In regeneratione tollitur

cor lapideum, & datur cor carneum, nec tamen intercedit mutatio substantialis, sed solum accidentalis qualitarum. Quod verò DEUM *injustitia insimulas*, si peccatum non sit substantia; ferendum abs te non est; Vide, quò tandem abripiat te commenti tui admiratio? Et qualis quæso est illa tua argumentatio, *si peccatum substantia non est; Ergò omnes actiones hominis bonas esse necesse est?* Quid mirum, hominis penitus perversi perversas esse actiones, nec tamen perversitas ipsa substantia hominis est. Urges, *peccatum operatur*, quod substantiæ proprium est: Sed & qualitatibus tribuuntur operationes & effectus, quia substantiæ per qualitates operantur. *Peccatum habitat in carne*, ipsa verò caro non est. Fateor: *Peccatum Juda stilo ferreo scriptum est in tabula cordis*, Jerem. XVII, v. 1. non ut alium magneti leniter circumlitum. *Victorinus* alio suo vescatur, si non sufficit, addat & cepas. Eo ipso autem aliud est cor, & aliud peccatum ei inscriptum. Denique totus cohorresco, quoties lego illa tua verba: *reverà Diabolum esse creatorem, qui in genere humano novas quasdam animas regnantes supra totum hominem creaverit, easque etiam in infinitum propaget.* Nonne hoc est Manichæa deliria resuscitare, & in Ecclesiam revehere? Pedem refer, Illyrice, ad præcipitia decurras, tuum est sequi rectè monentem, & abjecto errore in viam veritatis redire, quod si feceris, & tuæ saluti & Ecclesiæ Christi rectè consulueris. Si verò in conceptâ falsâ opinione pertinaciter perstiteris, quod DEUS clementer prohibeat, quid tibi metuendum sit, ex hac fideli admonitione facilè colligere potes.

§. XXI.

CONFESSIO WIRTEMBERGICA Art. IV. de Peccato brevis est & sic sonat: *Credimus & confitemur, hominem initio justum, sapientem, libero arbitrio praditum, Spiritu S. ornatum ac felicem (quæ duo prædicata Afoius frustra vellicavit. v. Apolog. p. 243.) à Deo conditum esse, postea autem propter inobedientiam Spiritu S. privatum, factum mancipium Satanae & obnoxium tam corporali morti, quam aeterna damnationi; idque malum non in uno tantum Adamo constituisse, sed propagari in omnem posteritatem ejus. Rom. V, 12. Eph. II, 3. Quæ verba & originem, & atrocitatem, & universalitatem P. O. graviter describunt, & sic per omnia cum A. C. exactè conveniunt.*

Articulus III. DE FILIO DEI.

§. I.

POSTquam in præcedenti Articulo de P. O. tanquam morbo totius generis humani hæreditario dictum, rectè nunc & justo ordine subjicitur Articulus de Christo, tanquam vero & unico illo Medico, *Matth. IX, 12.* qui solus homines peccatores ab hæc spirituali leprâ liberare novit. Sermo igitur est hoc in loco de *FILIO DEI*, non præcisè, quatenus est secunda Deitatis persona, quo respectu ad *Art. I.* pertinet; sed, uti verba articuli docent, prout est incarnatus, & in officio Mediatorio constitutus, secundùm utrumque statum, tam *Exinanitionis*, quàm *Exaltationis*, quorum uterque suos quasi gradus habet, de quibus nunc ordine dicendum erit, quantum pro ratione instituti nostri sufficit.

§. II.

Verba ita habent: *Item docent (Ecclesiæ apud nos) quod Verbum (seu λόγος,) hoc est, Filius Dei, (hactenus ἄσαρκος,) assumserit naturam humanam, (quæ phrasia Paulina est, desumpta ex Ebr. II. v. 16. explicans alteram illam D. Johannis, quod Verbum caro factum sit. Joh. I. v. 14.) in utero B. Mariæ Virginis, (in quo opus incarnationis Filii Dei modo quodam imperferutabili peractum fuit à Spiritu S. qui ex carne & sanguine Mariæ naturam Christi humanam, veram & perfectam atque ab omni labe peccati puram ac impollutam Ebr. IV, 15. propria tamen personalitate destitutam formavit & cum λόγος personaliter univit) ut jam sint dua natura, divina & humana, in unitate persone, (ita ut unam numero personalitatem divinam habeant, diverso tamen habendi modo, unumque ὁφισάμενον ambæ constituent) inseparabiliter (ἀδιαίρετως, ἀχωρίστως, ἀΐστα-*

ἀδιασάτως, ἀτρέπτως ἢ ἀσυγχύτως, quibus adverbis pia & orthodoxa antiquitas in hâc materia usa fuit præsertim in Synodo Chalcedonensi) *conjuncta*, (ita ut utraque quidem natura, in statu quoque unionis, essentielles suas proprietates sibi retineat, neque in alteram eas transfundat, natura tamen Divina proprietates naturæ humanæ sibi appropriet, & vicissim suas proprietates eidem communicet.) *Unus Christus, verè Deus & verè homo*, (adeoque Θεάνθρωπος, qualis Mediator inter Deum & homines esse debuit) *natus ex Virgine Maria* (quæ proinde rectè Θεοτόκος appellatur) *verè (& non solum secundum externam apparentiam, in assumptâ carne) passus, crucifixus, mortuus & sepultus*, (quæ omnia ad statum profundissimæ EXINANITIONIS pertinent) *ut reconciliaret nobis Patrem* (per peccata offensum passione & morte sua satisfactoriâ) *& hostia esset non tantum pro culpa originis, sed & pro omnibus actualibus hominum peccatis*. Quæ verba directa sunt contra *opinionem*, cujus mentio fit p. 25. quod *Christus passione sua satisfecerit quidem pro peccato originis, & verò instituerit Missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus & venialibus*. Conf. Apologia p. 265. ubi hic error in specie tribuitur *Thomæ*, qui scripserit: *Corpus Domini semel oblatum in cruce pro debito originali, jugiter offerri pro quotidianis delictis in altari &c.* Quâ de re B. LUTHERUS in Explic. Joh. Cap. XVII. Tom. VII. Germ. scribit: *Jetzt predigen sie / und schreiben uns verschämt / daß Christus allein für die Erbsünde gestorben und genug gethan habe / wir aber müssen gedencken / wie wir unsere eigene gethane Sünden büßen*. Cujus quidem dogmatis hodiernos Papistas pudet, adeò, ut etiam *Bellarminus* mendacii propterea arguat Confessionem. At B. GERHARDUS noster in *Confessione Catholica Libro II. speciali Part. III. p. m. 73.* plura in hanc rem testimonia adduxit, non solum ex *Thomæ*, sed & *Bonaventura*, *Ambrosio Catharino*, aliisque. Quanquam idem in *appendice Articuli XV. de Eucharistia* concedat, Papistas non simpliciter asserere, pro solo peccato originali Christum satisfecisse, sed hoc

hoc solum velle, quod pro hoc solo satisfecerit sufficienter, ita, ut non aliud quid admitti necessarium sit, neque hominum satisfactio insuper requiratur, sicuti pro peccatis actualibus satisfactionem propriam volunt requiri per Sacrificium Missæ & opera hominum. Quemadmodum verò meritum Christi ad omnia peccata in his verbis extenditur, sine ullâ exceptione, ita & ad omnes ac singulos homines, ratione intentionis Divinæ, pertinere innuitur, ita, ut nemo hominum absoluto quodam Dei decreto sit exclusus, sed omnes & singuli jus habeant, immò & obligationem, hanc reconciliationem à Christo factam sibi per fidem applicandi. Quò pertinet F. C. *Art. XI. de Electione.* p. 804. sq.

§. III.

De statu verò EXALTATIONIS Christi articulus porrò ait: *Idem descendit ad inferos &c.* adeoque distinctam mentionem facit I. DESCENSUS ad inferos: de quo in *Formula Concordia* dicitur, quòd is non modo à quibusdam recentioribus, verum etiam à veteribus Ecclesiæ Doctoribus, diversimodè sit explicatus, id quod occasionem dedit auctoribus F. C. veram sententiam Scripturæ S. conformem breviter & succinctè, satis tamen perspicuè proponendi in *Art. IX. p. 613. & 788.* Summa hùc redit: Quòd (α) descensus Christi ad inferos sit actus *θεαυθρῶπις* triumphatorius, adeoque ad statum exaltationis pertinens, quo is secundum carnem vivificatus. I. Petr. III, 18. 19. verè ac propriè ad inferos descendit, seque Victorem Diaboli atque inferni stitit ac demonstravit. (β) Quòd Persona descendens Deus & homo sit, adeoque Christus non solum secundum animam, prout Pontificii volunt, descenderit. (γ) Quòd terminus descensus non sit limbus Patrum, sed πᾶς damnatorum, quod Petrus *Φυλακὴν*, carcerem infernalem appellat, omnium infimorum [non Geometricè sed mysticè] infimum. (δ) Quòd descensus ille non sit factus per sepulturam, aut per dolores inferni, quos ante sustinuit ad montem oliveti, & in cruce; sed postquam in sepul-

cro seipsum vivificavit, quod ordo verborum dicti Petri evincit.
 (e.) *Quòd* eo scopo ac fine tota persona descenderit ad inferos,
 ut victoriam, quam per passionem & mortem suam Christus ab
 hostibus suis & nostris reportavit, palàm manifestaret, infernam
 expugnaret, nosque inde liberaret, id quod Lutherus, ad cu-
 jus concionem in arce *Torgensi* A. 1533. habitam F. C. nos remittit,
 his verbis exponit: Ehe Christus auffstanden und gen Himmel ge-
 fahren / ist er auch hinunter in die Hölle gefahren / auff daß Er uns / die
 wir darinn sollten gefangen liegen / darauß erlöset / das ist der Nutz dieses
 Articuls / warum Er geschehen / geprediget und geglaubet wird / wie Chri-
 stus dem Teuffel seine Macht zerstöhrt; wann ich das hab / so hab ich den
 rechten Kern und Verstand darvon. (2) *Quòd* modus, quo id Chri-
 stus effecerit, nobis planè ignotus, nec curiosè scrutandus
 sit, de quo rursus Lutherus *l. c.* (4) Denique *quòd* vera con-
 solatio ex hoc articulo hauriri possit, quæ in eo consistit,
quod neque Satan, neque ipsi inferi, nos omnesque alios in
Christum credentes, in potestatem suam redigere, aut nobis no-
cere valeant; quò etiam pertinet dictum: *ἔτε ὑψωμα, ἔτε βά-*
δος &c. Rom. VIII. v. 39. Confer, si placet, de hoc articulo
Graueri Praelect. ad A. C. p. 416. sqq. II. RESURRECTIONIS
tertia die propriâ virtute facta, de quâ in Formula Concord.
 p. 753. dicitur, quod Christus è sepulcro clauso & obsignato
 prodierit. III. ASCENSIONIS *ad cælos verè & visibiliter factæ*
 Marc. XVI. v. 19. Luc. XXIV. v. 51. Actor. I. v. 9. Eph. IV.
 v. 10. & quidem non solum ad cælum, quod suprâ nos
 est, adspectabile, sed & in cælum beatorum, & vel maximè in
 cælum illocale gloriæ & majestatis divinæ. Unde mox quo-
 que mentio fit IV. SESSIONIS *ad Dextram Patris,* quando ad-
 scendisse dicitur, *ut sedeat ad dextram Patris, & perpetuò reg-*
net & dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum,
misso in corda eorum Spiritu S. &c. Ubi observandum primò,
 quod *sedere in cælis, & sedere ad dextram Patris,* non sint phra-
 ses æquipollentes, prout quidem ALTINGIUS in *Exegeti Augustana*
Confessionis perperam supponit; *Sedere enim in cælis* etiam Deo
 Patri

Patri competit, & significat potentem illam Dei gubernationem totius universi tribus Deitatis personis communem; *Sedere* autem *ad dextram Dei* prædicatur de Christo secundum naturam humanam, adeoque gubernationi Divinæ superaddit communicationem, vi unionis personalis carni seu naturæ humanæ in tempore factam. *Secundo*. Quòd Dextra Dei vel *absolutè* accipiatur, vel *personaliter*; Absolutè accepta, est Majestas Dei Unitrini, secundum quam omnia creasse, & solus mirabilia facere dicitur, & hæc omnibus tribus Personis communis est; Personaliter verò accepta, prout hoc loco accipitur & notanter *Dextra Patris* appellatur, denotat illam ipsam Majestatem infinitam & verè Divinam, quam Deus Pater ab æterno per generationem communicavit Filio suo, Filius verò in tempore assumptæ quoque carni suæ mediante unione personali communicavit, ita, ut jam secundum utramque naturam, Divinam & humanam, *perpetuò regnet & dominetur* omnipotenter & præfenter *omnibus creaturis*. DEXTRA ENIM DEI non est certus aliquis & circumscriptus locus, sed ipsa omnipotens DEI virtus, quæ cælum & terram implet, in cujus possessionem Christus juxta humanitatem suam venit, non tùm demùm, cùm à mortuis resurrexit & ad cælos ascendit, sed tùm, cùm in utero matris conciperetur, & homo feret, quando videlicet Divina & humana natura personaliter sunt unita. p. 608. 764. 768. cum hoc tamen discrimine, ut sessio ad dextram virtutis inde à nativitate Christi usque ad statum exaltationis sub formâ servili tecta fuerit & occulta; jam verò sit manifesta & majesticè gloriosa. p. 770. 785.

Quando itaque quæritur: An & Omnipræsentia carnis Christi his articuli verbis insinuata fuerit? Nostrates comuniter affirmant, & in specie DORSCHÆUS in *Dissert. seculari de A. C. cap. 2. p. 104. sq.* id ipsum probat hoc argumento generali: Quicumque sensus congruit cum eo, quod de articulo sessionis ad dextram Dei sentiebant (I.) Ordines Protectantes, qui Augustanam Confess. Cæsari Carolo V. offerebant;

(2.) Theologi, qui eam vel concionabant, vel saltem antequam offerretur, examinabant & approbabant. (3.) Concionatores Ecclesiæ, quorum nomine offerebatur. (4.) Ecclesiæ, quæ post Confessionem Augustanam in comitiis exhibitam eidem accesserunt, ex illa reformatæ, nec ullam in doctrina mutationem passæ sunt; ille procul dubio genuinus Augustanæ Confessionis sensus est; Atqui sensus ille, quòd Christus secundum humanam naturam, per Divinam potentiam realiter sibi communicatam, Divinas operationes perficiat, & præsentissimè operetur apud omnes creaturas, est talis; (id quod SCHROEDERUS in *Throno Regio* & in *Sceptro Regali* ex Lutero, Philippo aliisque sufficientissimè ostendit.) Ergò hic sensus vel maximè genuinus est, & Majestas Omnipræsentis Christo etiam secundum humanam naturam competere ex hoc articulo rectè concluditur (a) *Ex Sessione ad Dextram DEI.* Hæc enim nihil aliud est, quàm erectio naturæ humanæ ad plenariam, incessantem & gloriosam Majestatis Divinæ in gubernatione omnium creaturarum in regno potentis, gratiæ & gloriæ existentium operosæ usurpationem, quæ simul omnipræsentiam ad omnes creaturas infert & connotat. (b) *Ex Dominio in omnes creaturas,* quod Christo secundum eam naturam, secundum quam ascendit, (ascendit verò secundum naturam humanam) hoc loco difertè tribuitur. Dominium enim illud Divinum unà cum omnipotentia & omnisapientia omnipræsentiam quoque includit. (γ) *Ex præsentia gratiosè operosa apud Ecclesiam, ubi sanctificat credentes in ipsum &c.* rursum secundum illam quoque naturam, secundum quam ascendit in cælos, & sedet ad dextram Patris; adeoque secundum naturam, non Divinam solum, sed & humanam. (*Ubi enim opera divelluntur & separantur, ibi etiam ipsam personam dividi necesse est, juxta F. C. p. 772.*) Cùm enim sanctificatio illa credentium fiat per usum quoque Eucharistiæ, in quâ Pontificii substantialem præsentiam C. & S. Christi agnoscunt, ad minimum in ordine ad hos rectè colligitur,

ligitur, non magis repugnare Carni Christi, quo minus sit
 præsens omnibus creaturis simul, quàm tot millibus fidelium
 uno eodemque tempore in diversis locis communicantium,
 cùm ad utramque adessentiam eadem requiratur potentia divina,
 ut patet. Hinc & *super omnes cælos ascendisse* dicitur Eph. IV,
 v. Io. *non communi ratione, uti alius quispiam Sanctus in cælos*
ascendit, sed ut impleret omnia, & ubique, non tantùm ut Deus,
verùm etiam ut homo, præsens dominaretur & regnaret à mari
ad mare, & usque ad terminos terra &c. F. C. p. 768. Quid
 contrà hanc interpretationem *articuli tertii* regerant Pontifi-
 cii, videtis apud Dorschæum l. c. p. 109. sqq. V. REDITUS ad ju-
 dicium, quando subjungitur: *Idem Christus palàm* (Germ.
 öffentlich) *est rediturus, modo visibili & glorioso in die panto-*
critico, ut judicet vivos & mortuos, de quo Art. XVII. agit ex
professo. Exinde verò non sequitur, quod de præsentī usque
 ad reditum suum juxtà humanam naturam planè absens sit à
 nobis. Illa enim præsentia *gloriosa*, finita tamen, quæ Christo
 ex conditione corporis glorificati competit, & juxtà quam re-
 diturus dicitur, opponi non debet vel præsentia *Sacramentali* C.
 & S. Christi in cœnâ, vel omnipræsentia *generali* naturæ hu-
 manæ ad omnes creaturas; quemadmodum nemo dicet, quod
 præsentia gratiosa, quâ Deus solis fidelibus adest, alteram
 generalem & substantialem ad omnes creaturas excludat. Hinc
 quando in Symbolo Apostolico dicitur: *INDE venturus est &c.*
 id non de *Dextrâ DEI*, quæ ubique est, sed de *cælo beatorum*
 intelligi debet.

§. IV.

Nihil in hoc tertio articulo desideratum fuisse ab adversa-
 riis patet ex *Apol. p. 59.* in qua dicitur: *Tertium articulum probant*
adversarii &c. Quanquam enim jam tunc temporis Scholastici
 quidam ad *χειρόλυσι* Nestorianam inclinarint, nondum tamen
 apertè in hanc sententiam concesserant DD. Ecclesiæ Romanæ,
 prout

prout id hodiè Jesuitæ faciunt, unionem personalem per nudam sustentationem definiendo, veram naturarum *κοινωνίαν* negando, atque Divinorum Idiomatum communicationem realem humanæ naturæ factam inficiando, & nonnisi verbalem admittendo. Neque etiam deinceps in *Concilio Tridentino* quicquam contra *Omnipresenciam* carnis Christi à Luthero aliisque assertam definitum legitur. Quare & in *Artic. Smalcald.* p. 303. dicitur: *Nullam inter nos & adversarios controversiam esse de articulis de Deo Unitrino, & de Christo.* Ad quæ verba tamen annotari debent, quæ B. SELNECCERUS in *Recitationibus* suis de *libro Concord.* p. 74. memorat, quod quidam quæsierit, num inter Lutherum & Pontificios de Persona Christi unquam controversiæ extiterint, quod ipse Lutherus in verbis modò allegatis negare videatur? huic verò responsum fuerit: Lutherum loqui ibi de *Filio Dei ex Mariâ, purâ Sanctâ semper Virgine nato &c.* in quo Pontificii nobiscum eandem profitentur doctrinam; De cætero autem eundem alibi expressè dixisse, multos esse Nestorianos inter Pontificios, id quod etiam constet ex *Thesibus Ingolstadianis Vitebergæ A. 1571. denuò recusis.* ANTITHESIS articulo huic addita non est, non, quasi nulla prorsus tunc temporis in Ecclesia fuerit falsâ de Christo doctrina rejicienda ac damnanda, sed partim, quia doctrina publica de personâ Christi in Ecclesiâ Romanâ sic satis sana atque integra erat; partim, quia adversarii Lutheranos circa hunc articulum nullius hæreseos tunc postulabant. Habetur verò *Antithesis & Synopsis errorum in Formula Concord. Art. II. X. p. 610. & 786. & seq.* quæ videatur omninò,

§. V.

MUTATIO à Philippo in hoc Articulo facta magni momenti non est. Ubi enim in prototypo dicitur: *Sanctificet credentes in ipsum misso in corda eorum Spiritu S. qui regat &c.* ibi variata editio sic habet: *Sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorū Spiritu S. & sanctificatis det vitam aternam.* Quod factum quidam excusant per

per hoc, quòd in prototypo, quæ de regimine Sanctorum, consolatione, vivificatione, & defensione eorum adversus diabolum & vim peccati dicuntur, sic posita sint, ut de Spiritu S. dicta videantur, cum potius ex mente Confessorum ad ipsum Christum pertineant; cui ambiguitati remedium paratum sit per hanc ipsam mutationem. Verùm neque hoc nomine ea necessaria fuit; cum enim opera Trinitatis ad extra comunia sint tribus personis, verba ista tam de Christo, quàm de Spiritu S. rectè intelliguntur, unde & Germanicum exemplar ista omnia ita effert, ut satis clarè innuat, Christum per Spiritum S. ea efficere atque operari, dum ait : *Dasß Er alle / so an Jhn glauben / durch den Heiligen Geist heilige / reinige / stärke und tröste / ihnen auch Leben und allerley Gaben und Güter austheile / auch wider den Teuffel und Sünde schütze und schirme.* Sed nec altera mutatio gravioris momenti est, quando ad verba Prototypi : *ut judicet vivos & mortuos* : Variata addidit : *Resuscitatos*, cum per se constet, mortuos non nisi resuscitatos in judicio extremo comparere posse.

§. VI.

Post decursum verò quadraginta annorum etiam circa hunc articulum de persona Christi inter ipsos Augustanæ Confessionis Theologos ortam fuisse controversiam è *Formula Concordiæ* constat p. 605. & 761. postquam scilicet sic dicti Crypto-Calviniani Witebergenses editis primo thesibus de *Persona Christi*, deinde Catechesi & libello Germanico de *Ascensione Christi & Sessione ad Dextram &c.* docuerunt, Christum ascendentem cælo sic captum esse, ut ipsius corpus nusquam extra cælum sit vel esse possit; & tandem edito libro, cui titulum fecerunt : *Grund. Feste. &c.* doctrinam B. Lutheri de Majestate & omnipræsencia carnis Christi multarum hæresium haud obscurè insimularunt, & verò nihil minus quàm Luthero-mastiges videri voluerunt, quin potius nomen & auctoritatem Lutheri semper in ore habuerunt; Quibus cum alii yncivios Lutherani sese masculè opponerent, sta-

tus controversiæ exinde natus est loquens: p. 605. *An Divina & humana natura & utriusque proprietates propter unionem personalem REALITER h. e. verè & reipsa, & non tantum quoad phrasin & modum loquendi, in persona Christi invicem communicent?* Id quod illi negârunt, orthodoxi verò affirmârunt, sequentes vestigia Lutheri & Augustanæ Confessionis, à cujus sententiâ illi recesserant. Qua in re solidè explicanda ac decidenda *Formula Concordia* ita procedit, ut communicationem naturarum & utriusque proprietatum neque *essentialem* & *Physicam*, neque etiam merè *verbalem* & *Logicam* esse dicat, sed *personalem* & vel maximè *realem* ita, ut quemadmodum unio naturæ Divinæ ac humanæ vera ac realis est, imò realissima, ita & exinde resultans naturarum communio & proprietatum communicatio omninò sit realis, prout id perspicuè exponitur.

p. 778. Ad quæstionem: *Num hæc ipsa communicatio etiam sit reciproca, ita, ut, quemadmodum natura Divina idiomata sua naturæ humanæ communicasse dicitur, sic vicissim natura humana proprietatas suas communicaverit naturæ Divinæ in Christo?* *Respondetur*: Communicationem idiomatum utriusque naturæ esse quidem reciprocam, quatenus nimirum humana dicuntur de Deo, & vicissim Divina de homine Christo; Interim tamen non unum eundemque esse reciprocationis modum. Divinitas enim *dat*; Humanitas *accipit*. Illa Majestatem suam huic *communicat*; ipsa verò aliunde nil accipit, sed sibi *appropriat* & ad se refert ea, quæ humanitatis propria sunt. Divinitati per hanc appropriationem nihil vel *accessit*, vel *decessit*. p. 773. cùm enim sit infinite perfecta & simpliciter immutabilis, fieri non potuit, ut aliquid perfectionis, quod ab æterno non habuerit, per incarnationem in tempore factam ei accesserit, multò minus aliquid imperfectionis in eam cadere potuit. Humanitati verò quin major accesserit perfectio, dubium non est, & talis quidem, qualis & quanta nulli ψιλαν-
θρώπων

ἰσώπῳ, imò nulli planè creaturæ extra hypostasim Divinam subsistenti competit, aut competere potest. Quare & hæc μεταποιία veteribus Βελήωσι dicta fuit & ὑπερύψωσι. Quorum autem donorum & quarum prerogativarum ea sine abolitione sua capax aut non capax esse queat, nemo melius ac certius novit, quàm ipse Dominus noster J. C. neque id nostrum est argutis cogitationibus metiri & ad calculum revocare, inquit F. C. 774 sq.

§. VII.

Jam vero in constituendis certis communicationis gradibus sive GENERIBUS eorumque ordine variant quidem Theologi, ita tamen, ut in re ipsa optimè convenient : Alii enim quatuor, alii & plerique tria tantùm genera constituunt, quæ FORMULA CONC. hoc ordine recenset, ut ἰδιοποιίαν primo; κοινοποιίαν secundo, & μεταποιίαν sive ὑπερύψωσιν tertio loco ponat, cùm alias, si ordinem naturæ spectes, μεταποιία κοινοποιίαν antecedit.

§. IIX.

PRIMUM GENUS est, quando ea, quæ unius tantùm naturæ propria sunt, alteri naturæ, non seorsim quasi separata, sed toti personæ attribuuntur, sive Deus, sive homo nominetur, ita tamen, ut distinctè declaretur, secundùm quam naturam aliquid personæ adscribatur. p. 770. Quæ declaratio interdum expressè additur, interdum verò subintelligi debet, ubi discretè non legitur. Complectitur autem hoc primum genus duas quasi species : Subjectum enim propositionis vel est totum ὑφιστάμενον s. persona σύνθετος, de quâ prædicantur alterutrius naturæ propria, ut: *Christus est ante Abrahamum* Joh. IIX. 58. intellige, secundùm Div. naturam; *Christus natus est ex Patribus secundum carnem*, Rom. IX. 5. i. e. secundùm humanam naturam; Vel subjecti locum tenet λέγῳ assumens, cui proprietates naturæ humanæ non per nudam φράσιν aut modum loquendi, sed verè & realiter

re aliter attribuuntur v.g. *Dominus gloria crucifixus est.* I. Cor. II. 8. scil. secundum carnem; *Verbum vita oculis visum & manibus conprehensatum est.* I. Joh. I. 2. sq. pariter secundum carnem. Et in harum propositionum resolutione B. noster LUTHERUS ALLOEOSIN Zwinglij (cum quâ *Synecdoche Piscatoris* coincidit, & quæ ab ἀλλοίωσι *Damasceni* toto cœlo distat,) tanquam *larvam Diaboli* omni studio vitare jubet. p. 771. Non enim sunt prædicationes istæ merè *verbales*, sed quàmmaximè *reales*, imò *realissimæ*, ita, ut quàm verè & realiter caro, in qua passus est Christus, ipsius Filii Dei caro est, tam verè etiam ac realiter ipse Filius Dei in carne personaliter sibi unita passus, crucifixus, mortuus & sepultus sit & dicatur. Fundamentum enim hujus *ιδιοποιίας* est unitas *ὑπεράσεως* in Christo, ex qua hoc necessariò fluit, ut ea, quæ humanæ naturæ competunt per se, etiam Filio Dei verè ac realiter competant & attribuantur per & propter unionem; cùm actiones & passionες sint suppositorum. Hinc nostrates dicere solent: Filium DEI, adeoque ipsum verum Deum, passum esse *τὴν ὑπερατικῶς*, eò quòd caro, in quâ passus est, ipsâ Filii DEI hypostasi subsistat, eandemque cum ipso personam constituat; *τὴν ιδιοποιητικῶς*, quia Filius DEI appropriando sibi carnem simul quoque actiones & passionες carnis sibi appropriavit. (Vid. CALOVII *Examen Doctrina Reform.* p. 479.) Et, ut eò magis declarent veritatem hujus appropriationis, quidam non verentur uti loquutionibus *abstractivis*, & dicere, ipsam *Deitatem* ἢ *λόγος* esse *passam* &c. scilicet in assumptâ sibi que appropriatâ carne; Quam propositionem, licet non omnibus arideat, veram tamen & orthodoxam esse probavit B. noster THUMMIUS argumentis planè invictis, in *Tract. de Majestate Christi* p. 126. sqq. nec non in *Repetit.* p. 479. sqq. & in *Synopsi* p. 323. sqq. Conf. OSIANDRI *Theol. Acroam.* P. II. 337. & GERHARD. in *L. de Pers. Ch.* §. 273.

§. IX.

SECUNDUM GENUS(juxtâ F. C.) est, quo qualibet natura in operi-

operibus officii mediatorii agit quod suum est, cum communicatione alterius, uti regula Chalcedonensis habet p. 773. Quod enim ad rationes officii Christi attinet, persona Christi non agit & operatur in, seu cum una, vel per unam naturam tantum, sed potius in, cum & secundum, atque per utramque naturam, quare & hæc opera Theandrica, aut Deivirilia appellantur, in quibus perficiendis natura divina utitur humanâ tanquam organo, non mortuo & exanimi, (prout Danaus naturam Christi humanam in patrandis miraculis non plus fecisse scripsit ad versus Chemnitium, quàm fecerit virga Mosis in miraculis coram Pharaone editis,) sed sibi personaliter unito, & beneficio hujus unionis personalis divina virtute prædito, (prout mox è tertio genere patebit.) Et proinde heic ipsa quoque natura humana agit, non tantum secundum naturales suas vires & essentielles proprietates, sed præcipuè secundum Majestatem, gloriam, virtutem atque potentiam, quam per unionem hypostaticam accepit. p. 774. Sic v. gr. quando Christus proprio suo sanguine Ecclesiam redemisse dicitur Act. XX, 28. ad hoc ἀποτέλεσμα perficiendum utraque natura concurrat, & egit, quod suum erat, sed cum communicatione alterius, h. m. Sanguinem fundere est proprietas (latius sic dicta) naturæ humanæ, quam natura divina juxta primum genus sibi appropriavit; effuso autem sanguini humano virtutem divinam expiatoriam conferre, est proprietas naturæ divinæ communicata naturæ humanæ; unde ἀποτέλεσμα redemptionis Ecclesiæ utrique naturæ commune resultat. Probatum hoc genus, (quod quidem ex primo & tertio per se fuit,) potissimum ex fine unionis personalis; Ideo enim natura divina assumpsit humanam, ut non absque ea, sed in, cum, & per eam opus redemptionis perageret, idque non quâ Deus solum, sed & ut homo exequeretur. Negatâ verò communicatione in agendo mutuâ, quomodo aut quâ ratione utrique naturæ officium mediatoris competat, non liquet. Vid. CALOVII Examen Doctr. p. 1096. §99.

§. X.

TERTIUM GENUS [aliàs ordine naturæ secundum] consistit in eo, quod proprietates naturæ divinæ verè & realiter communicatæ sunt naturæ humanæ, ita ut hæc quoque inde à primo unionis personalis momento sit & rectè dicatur *vivifica p. 776. omnipotens p. 780. omniscia p. 781. omnipresens p. 783. &c.* quæ ipsa tertii generis communicatio quòd *non tantum, quasi per phrasin aut modum loquendi dicta, de persona Christi secundum ejus divinitatem, sed potius secundum assumptam humanam naturam intelligenda sit*, tribus firmissimis atque invictis argumentis probatur p. 776. quæ videantur omninò. Quod verò ad ejus modum & indolem attinet, F. C. eam *καὶ ἄρτι & ἕως* satis luculenter explicat & docet, fieri eam neque per *essentialem participationem*, neque per *naturalem transfusionem* aut *egressionem*, neque per *conversionem, confusionem, aut exaurationem*, sed secundum *personalem unionem*, quâ id, quod proprium est uni naturæ, alteri communicatur, non solum ad communem possessionem, sed &, si *ἐνσπυλιχθὲν* sit, ad communem etiam usurpationem & denominationem, ita ut sit *permaneatque in Christo unica tantum omnipotentia, virtus, Majestas & gloria, qua est solius divinæ naturæ propria, ea vero luceat & vim suam plenè, liberrimè tamen, exerat in & cum assumptâ humanitate, & per illam. p. 778. eâ quodammodo ratione, uti pia & erudita antiquitas mysterium hoc illustravit, quâ anima in corpore & ignis in ferro candente lucet & agit.* Denominatio verò utriusque naturæ ob diversum habendi modum est *inaequalis*, dum axiomata divina tribuuntur naturæ divinæ *primariò ac per se*, naturæ verò humanæ *secundariò & propter aliud*, nimirum, per & propter unionem hypostaticam. Quousque hic nobiscum loquantur & sentiant Reformati Irenici, vide, si placet, in CALOVII *Examine Doctrinæ p. 690. sqq.* Quod si queratur: Num idiomata Divina naturæ humanæ communicata sint

sint omnia , an verò quædam saltem ? *Respondetur* ,
 utique omnia & singula esse communicata , quia πᾶν πλήρωμα
 ἴης θεότητος in Christo secundum humanam naturam habitare
 dicitur. Col. II, 9. Verùm cum hoc discrimine, ut idiomata
 per se ἀνεργητὰ mediantibus ἐνεργητικῶς, adeoque non imme-
 diatè, sed *mediatè* intelligantur communicata, ita, ut na-
 tura Christi humana non quidem facta sit immensa atque æ-
 terna, quod repugnat; verè tamen possideat v. g. omnipotentiam
 & omniscientiam divinam immensam atque æternam. In spe-
 cie huc pertinet comunicatio *α. Omnipotentia.* Matth. XXII.
 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra,* jam verò
 quicquid Christo in tempore datum dicitur, secundum natu-
 ram humanam ei datum esse intelligitur. p. 776 *β. Omniscientia.*
 Joh. II. 24. 25. Col. II, 3. quæ cum habitual. i. la sapientia, juxta
 quam crevisse dicitur Luc. II, 40. confundi non debet. *γ. Vir-*
tutis vivificandi. Joh. VI, 51. à qua *Caro* Christi *vivifica* dici-
 tur, partim meritorie, quatenus pro mundi vita in mortem
 est tradita, partim effectivè & ἐνεργητικῶς, quatenus nos pascit
 ad vitam æternam. Joh. VI, 55. 56. Vid. p. 776. *δ. Cultus adora-*
tionis. Philipp. II, 10. ubi Christo *donatum* dicitur ex gratia *no-*
men, quod est *supra omne nomen*, ut in nomine Jesu se flectat
 omne genu &c. ubi de Christo secundum humanam natu-
 ram sermonem esse liquet ex eo, quia nomen adorabile non
 potuit *donari in tempore* naturæ divinæ, quippe quæ hanc Ma-
 jestatem habuit ex seipsâ ab æterno. *ε. Omnipresentia*, quæ sese
 extendit ad omnes in universum creaturas, quibus Christus
 non magis secundum divinam, quàm secundum humanam
 naturam præsens est; *Si enim*, inquit F. C. ex Luthero, *locum*
aliquem monstrares, in quo solus Deus, non autem homo esset, jam
statim Persona divideretur, p. 784. Et pag. seq. *Quocunque*
locorum Deum collocaveris, eo etiam humanitatem Christi una
collocare te oportet, quia dua natura in Christo separari aut di-
vidi

vidi nequeunt. Id quod illi, qui omnipræsentiam carnis in statu
 Exinanitionis locum actu habuisse negant, intellectum volunt,
 quoad hunc statum, de præsentia saltem *intimâ* ad λόγον, non
extimâ ad creaturas. Quæ glossa planè arbitraria stare nequit
 cum fundamento communicatæ omnipræsentia, quod est uni-
 tas ὑποστάσεως, quæ in omni statu obtinet & ejusdem rationis est.
 DISCRIMEN VERÒ STATUUM, quod illi urgent, non consistit in eo,
 quod in statu exinanitionis usurpatio majestatis communicatæ
 ordinariè locum non habuerit, sed quòd neque plena, [cessan-
 te usu reflexo,] neque semper manifesta, sed ut plurimum te-
 cta fuerit; Quòd pertinent verba, quæ leguntur p. 779. *Hæc autem
 humana naturæ Majestas in statu humiliationis majore ex parte occul-
 tata & quasi dissimulata fuit. At nunc, post depositam servi for-
 mam s. exinanitionem, Majestas Christi plenè, efficacissimè, atque
 manifestè coràm omnibus sanctis in cælo & in terris sese exerit.*
 Conf. p. 608. 767. Ceterum Formula Conc. *perniciosum errorem*
 vocat, quo summa Christianis consolatio eripitur, quando
 omnipræsentia naturæ humanæ derogatur. p. 786. & 788. De
 mente & sententia M. CHEMNITII sunt, qui existimant, eum *mul-
 tipræsentiam* quidem carnis, non verò *omnipræsentiam* admi-
 sisse, seque ejus rei vestigia deprehendere putant in ipsa For-
 mula Conc. p. 785. ubi dicitur, quòd Christus etiam secundum
 naturam humanam præsens esse possit, & quidem præsens sit, *ubi-
 cunq; velit.* [Et rursus p. 787. quod corpore suo præsens esse possit,
ubicunque voluerit; Quod illi de præsentia limitatâ & respecti-
 vâ dictum volunt. Verùm contrarium liquet, tùm ex his ipsis
 locis modò allegatis, ubi mox additur, in priore quidem loco:
*Præsertim verò sentimus, eum Ecclesiæ suæ in terris ut mediatorem,
 caput, regem & summum Sacerdotem præsentem esse secundum
 utramque naturam.* Quo ipso innuit specialis adessendi modus,
 qui generalem præsentiam certè non tollit, sed potius supponit.
 Qui enim *præsertim* Ecclesiæ adest, coipso non *soli* Ecclesiæ,
sed

sed & aliis creaturis extrâ Ecclesiam præsens est; in posteriore autem statim subjungitur: *ibique NB. inprimis, ubi suam præsentiam illam, ut in sacrâ sua Cœnâ, in verbo suo promisit. Quæ verba rursus præsentia generali non opponi, sed subordinari debent.* Tùm ex verbis ipsius Chemnitii, quibus in *L. de duab. nat. c. 30. fol. 521.* sententiam suam satis clarè exposuit sequentem in modum: *Quod si de aliis creaturis, quæ extra Ecclesiam ac generali Dei gubernationi subjectæ sunt, quaratur, Scriptura manifestè affirmat, Christo etiam secundùm humanitatem, ut Domino, vel ut Veteres loquuntur, humanitati Christi subjecta esse omnia, non tantùm in Ecclesia, sed in genere omnia, ut nil exceptum sit, præter illum, qui subiecit ipsi omnia; quam dominationem exercet, non ex longinquo absens, sicuti Reges solent, sed uti in λόγῳ subsistit, ita & in λόγῳ omnibus præsens dominatur.* Ita B. SPENERUS Studioso cuidam hunc scrupulum exemit in *Consil. Germ. P. IV. p. 720.* Wann es heißt / wo er will / *ubicumque voluerit, hebet solches die Allgegenwart nicht auff / dann er will gegenwärtig seyn nicht allein im H. Abendmal, und bey seiner Kirchen, sondern auch bey allen Creaturen.* ubi & verba Hülsemanni adducit, qui in *Breviario suo p. 144.* ait: *Christus homo per communicatam gloriam voluntariè est omnipræsens.* VERBO: Præsentia ipsa naturæ humanæ per se necessariò fluit ex unione personali; modus verò præsentia, vel & operatio huic conjuncta, à liberâ ejus voluntate derivanda est. Conf. omninò HUTTERI *Concord. conc. fol. 10. & 321.* Tandem referri hûc merentur TESTIMONIA CÛM SCRIPTURÆ, TÛM PURIORIS ANTIQUITATIS. p. 831, quibus planum facere voluerunt autores F. C. quod doctrina de communicatione Majestatis divinæ non sit nova, sed in verbo Dei & piâ atque orthodoxâ antiquitate quàm maximè fundata. Hanc verò qui factam esse dicunt, non in natura, sed in persona, eo ipso communicationem veram & realem tollunt; Persona enim Ἰς λόγῳ habuit eam ab aeterno per essentialitatem; Nisi igitur communicatio facta dicatur in tempore natura humanæ, nulla erit realis communicatio, sed tantùm verbalis denominationis, ut patet.

§. XI.

CONFESSIO WIRTEMBERGICA de hoc articulo plus non docet, quàm quòd *Filius DEI in plenitudine temporis factus sit homo, ad expianda peccata, & procurandam æternam salutem generis humani, & quòd Iesus Christus verus Deus & verus homo sit una tantum persona, non due; & in unâ personâ sint dua natura, non una tantum; Sicut testimoniis S. Scripturæ exposuerunt SS. Patres in Concilio Nicæno, Ephesino primo & Chalcedonensi. p. 2.* Neque etiam BRENTIUS in *Apologiâ Confessionis* plura de hoc mysterio annotavit. Operæ tamen pretium erit ex Scriptis ejus *Polemicis. T. IIX.* excerpta quædam huic articulo subjungere, quæ eundem haud parum illustrare & de doctrinâ Ecclesiæ Wirtembergicæ, cujus is interpretem egit, & grande decus ac lumen erat, luculenter testari possunt.

§. XII.

Et primò quidem de unione personali, & quam exinde deducit, omnipræsentiâ carnis, sequentem in modum differit :

Missiõem Filii DEI in carnem vocaverunt Majores nostri incarnationem, & interpretati sunt, quòd Deitas & humanitas sint quidem diversissimæ naturæ seu substantiæ (altera enim est ab æterno & rerum omnium creatrix, altera autem creata : & altera est Spiritus, altera autem corporea) nec altera sit in alteram vel conversa vel mutata, sed in Christo ita sint conjunctæ aut potius unitæ, ut prorsus unam constituent personam, in æternum nunquam separandam. Itaque missio Filii DEI in hunc mundum ita intelligenda est, ut cum in unâ æternâ & simplicissimâ Divinitate sint tres distinctæ personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, assumerit humanam naturam seu substantiam, (corpus videlicet humanum, & animam rationalem) non prima persona, quæ est Pater, non tertia, quæ est Spiritus Sanctus, sed tantum secunda, quæ est Filius, & eam

sub-

substantiam ita sibi univerit, ut non fiant duæ diversæ personæ, sed maneat tantum una persona. Et quamquam divina substantia non mutetur in humanam, & unaquæque suas habeat proprietates, tamen hæ duæ substantiæ ita sunt in unam personam in Christo conjunctæ, ut altera ab alterâ re ipsa nunquam dividatur. Quid ergò hinc sequitur? quid dicemus? Annon perspicuum est, quòd cum Deitas & humanitas in unâ persona Christi inseparabiliter & indivisè conjunguntur, necessarium sit, ut *ubicumque est Deitas, ibi etiam sit humanitas Christi?* Certè nisi hæ duæ naturæ sic semper unitæ in Christo maneant, ut altera nusquam sit sine alterâ, fieri non potest, ut Christus una maneat persona. Si enim Deitas Christi alicubi est sine humanitate ejus, jam duæ erunt personæ, non una. Quid igitur est, quod nonnulli dicunt, personam Christi non habere ubique sibi humanitatem unitam? Hoc quidem fortiter affirmant, sed quibus rationibus? & quomodo conveniet cum eo, quod universa semper Ecclesia sensit, duas naturas in unâ persona Christi ita conjunctas, ut re ipsa ab invicem separari nequeant, ac, si multum, solo intellectu separentur? Non est nobis in præsentia sermo de operatione, sed de unionem naturarum in personâ Christi. Scimus personam Christi aliud ex Divinâ, aliud ex humana naturâ operari, nihilominus tamen hæ duæ naturæ, quantumcumque diversas habeant proprietates ac operationes, perpetuò sunt in una Christi personâ ita conjunctæ, ita unitæ, ut nunquam separari queant. Non pigebit hoc loco recitare testimonium GELASII in libro *de duabus naturis in Christo, adversus Eutychem & Nestorium.* *Quamvis, inquit ille, unus atque idem sit Dominus Jesus Christus, & totus DEUS homo, & totus homo DEUS, & quidquid est humanitatis, DEUS homo suum faciat, & quidquid est Dei, homo DEUS habeat: tamen, ut hoc permaneat Sacramentum, nec possit ex aliquâ parte dissolvi, sic totus homo permanet esse, quod Deus est, ut totus Deus permaneat esse, quicquid homo est. Si aliquid, quod absit, vel divinitatis vel humanitatis inde decesserit, sequitur ineffabilis resolutio Sacramenti, & quod dictu audituque fugiendum est, vel homo Deus esse jam desinet, si sola illic humanitas, non etiam Deitas perseverat; vel Deus homo consequenter esse desinet, si sola illic divinitas, non etiam humanitas unita permaneat.* Hactenus Gelasius. Dictu (inquit) audituque fugiendum est, si sola illic divinitas, non etiam humanitas unita per-

maneat. Quà ergò fronte audent illi dicere, personam Christi non habere ubique sibi humanitatem unitam? Certè Deitas & humanitas Christi sunt una & inseparabilis persona, quemadmodum supra dictum est. Negari autem non potest, quin quæcunque sunt unita inseparabiliter, ubicunque est unum, ibi sit & alterum, nec sit ullus locus, aut locorum spacium, quod ea possit separare. Sed *respondere* solent, hoc tum verum esse, cum alterum eorum, quæ sic ununtur, non excedat alterum, nec sit majoris ambitûs, quàm alterum. Quasi verò hîc sit dandus locus Geometricis, de ampliori excessu & majori ambitu, speculationibus, & quasi hanc ineffabilem & inseparabilem unionem, cujus nullum aliud extat in universa rerum naturâ exemplum, dissolvere queant unius immensitas, alterius dimensitas: ac non potius nos in summam admirationem adducant; cum per fidem certò sciamus, quod filius Dei assumerit filium hominis in eandem personam, & ornaverit eum omni suâ majestatem, atque evexerit eum ad Dextram Dei Patris, ut, sicut filius Dei fuit ab æterno immensæ potentia, ita nunc filius hominis, postquam in unitatem personæ adsumtus est, ejusdem sit majestatis, & coram omnia gubernet. Vetus itaque & verus sermo est de Christo, quòd quidquid convenit filio Dei *per naturam*, hoc conveniat filio hominis *per gratiam* &c. Et rursus: Non ignoro, quosdam ex veteribus improbasse hanc locutionem: *Humanitas Christi est ubique*. Nec ipse probavero eam, si hoc vocabulo (ubique) localitas significetur. Ponamus ergò docendi gratiâ *triplicem ubiuitatem*, (sic enim libet adversariis nostris, absque ullo discrimine, rem vetustissimam ac verissimam novo & portentoso vocabulo infamare) videlicet, *localem*, *repletivam*, & *personalem*. Ac nulla quidem res est, nec spiritualis nec corporalis, quæ sit ubique, locali ubiuitate. Solus autem Deus natura sua est ubique, ubiuitate repletivâ. Et postquam Filius Dei univit sibi humanitatem, necessariò sequitur, quod ea humanitas in unitatem personæ à filio Dei adsumpta sit ubique, ubiuitate personali. Vocabulum igitur *ubique* rectè intelligendum est. Usitato enim more includit in se diffusam & undique extensam localitatem. In hac autem locutione: Humanitas Christi est ubique, hæc vox non significat ullam localitatem, neque enim Deitas ipsa diffusa est & extensa localiter: quomodo ergò diceremus, humanitatem Deitati unitam localiter

localiter
cunque
omnia
spacio
Ecclesia
Et recte
nie (vi
presenti
di omnia
nem in Ch
Christi im
repla aut
cum huma
sonali unio

Deinde
cet sequer
Proprietate
tione, u
quod Com
talem esse
immortalis
sit, Christi
quippe qu
interavit in
ore ejus: t
non sua cau
ultatis dict
Sed quomoc
est facta pati
se immortal
particeps.
quia est in
nita, non fi
cum aliis Sa

localiter diffundi & extendi ? sed hâc voce exprimitur ut-
 cunque id, quod Paulus dicit : ascendit super omnes cœlos, *ut*
omnia impleret. Superna & infera. Itaque, si sermo est de Geometrico
 spacio locorum, humanitas Christi non est ubique. Et hoc sibi volunt
 Ecclesiastici illi Scriptores, qui negant, corpus Christi ubique esse.
 Et rectè dicit *Gregorius* : Christus non est hîc, per *presentiam car-*
nis (videlicet, visibiliter & localiter,) qui tamen nusquam deest per
presentiam majestatis. Si autem sermo est de cœlesti modo imple-
 di omnia, certè, si concesseris *hypostaticam* duarum naturarum *unio-*
nem in Christo, fieri non potest, quin aut fatearis, humanitatem
 Christi implere omnia, aut verbis quidem affirmes personæ unitatem,
 reipsa autem dissolvas eam, & facias duas personas, alteram alicubi
 cum humanitate, alteram alicubi absque humanitate. *Lib. de per-*
sonali unione &c. p. 834. sq. 842. sq.

§. XIII.

Deinde de COMMUNICATIONE IDIOMATUM in genere idem
 docet sequentia :

Proprietates & actiones utriusque naturæ in Christo eâ sunt condi-
 tione, ut altera alteri suas proprietates seu actiones communicet,
 quod *Communicationem Idiomatum* vocant. Exempli gratiâ : *Mor-*
talem esse, est proprietas humanæ naturæ. Deus verò naturâ
 immortalis est. Etsi enim, si de Christo propriè loquendum
 sit, Christus non fuerit humanâ suâ naturâ morti obnoxius,
 quippe quòd ipse nullum unquam peccatum, propter quod mors
 intravit in genus humanum, fecerit, nec inventus fuerit dolus in
 ore ejus; tamen suâ sponte factus est mortalis, & suscepit mortem
 non suâ causâ, sed propter liberationem humani generis, juxta ve-
 rustatis dictum : Christus mortalis fuit *voluntate*, non *necessitate*.
 Sed quomodo hoc factum est ? Num divina natura in Christo non
 est facta passionis & mortis Christi particeps, propterea, quod ipsa
 sit immortalis ? Negari certè non potest, quin facta sit suo modo
 particeps. Etsi enim divina natura per se est immortalis, tamen,
 quia est in Christo cum humanâ naturâ in individuum personam
 unita, non fuit tantum cum eâ præsens in passione & morte, sicut
 cum aliis Sanctis, verùm etiam facta est earum tam personaliter

particeps, ut verè dici potuerit: *Deus ipse passus est & mortuus.* Vicissim: *ubiq; esse*, est proprietas divinæ naturæ. Sed quia divina natura assumpsit humanam in unam individuam personam, non est dubium, quin hanc proprietatem cum humanâ natura ita communem habeat, ut in nullo loco ab ea sit separata, & ubicumque dici potest: *Hic est Christus Deus*, ibi etiam verè dicatur: hîc quoque necessariò est Christus homo unâ cum corpore & animâ suâ. Nos quidem non negamus, quin suo sensu verè dici possit, Christum esse in terrâ aut in cœnâ suâ, tantùm *juxta divinam naturam*. Si scilicet intelligatur hoc sensu, quòd Christus homo non habeat hanc majestatem *originaliter* ex ipsâ humanitate, quæ naturâ suâ non potest nisi uno in loco esse, sed tantùm ex divinitate, à quâ humanitas nullo in loco separata est. Etsi enim hæ duæ naturæ sint per se diversæ, tamen, quia in unâ persona, non dico, commixtæ, confusæ aut mutatæ, sed unitæ sunt, necesse est, ut & proprietates unâ conjunctæ sint, & alteri naturæ ab alterâ commingentur. *In Tract. quæ sententiam suam exposuit de libello Bullingeri p. 874.*

§. XIV.

Porro de utroque STATU EXINATIONIS & EXALTATIONIS ad locum classicum Phil. II. v. 6. - II. sequentem in modum commentatur :

Nomine *forma DEI* h. l. intelligenda non est essentia Dei, sed Majestas seu proprietates divinæ, quæ Christo homini ex personali unionem sunt communicatæ. Nam & quæ sequuntur de inanitione & exaltatione, non ad divinitatem, sed ad humanitatem pertinent. Quid ergò? cum Christus homo *in forma Dei* fuerit, num eâ ambitiosè abusus est? Nihil minus. *Non enim rapinam arbitratus est esse equalem Deo*, inquit Apostolus. Potuisset quidem majestatem Dei, quâ ornatus erat, statim vel in utero matris adhuc existens, vel ex utero egressus, manifestè exercere, ac publicè in cœlo & in terrâ ostentare, sed *inanivit seipsum, forma servi sumtâ.* &c. Forma autem servi opponitur formæ Dei. Sicut enim forma Dei est aspectus & ornatus divinæ majestatis ac dominationis, ita forma servi est aspectus & deformitas, qualem servi habent, quibus nihil vilius, nihil contentius est in hâc terrâ. Hâc formâ servili textit & ob-

& obduxit gloriam & majestatem sibi communicatam & apparuit omnium vilissimus. *In similitudine hominum constitutus.* Non quod non fuerit verus homo, sed quia sustinuit omnia humanarum imbecillitatum genera, nascendo, increcendo, esuriendo, sitiendo, &c. *Habitu repertus ut homo.* Ubi D. Paulus utitur vocabulo *ἄνθρωπος*, & hoc innuit, quod Christus nihil humani affectus (præter peccatum) à se alienum reputarit: Doluit enim, horruit, flevit, & contristatus fuit usque ad mortem. Sequitur: *Humiliavit se ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hæc est antithesis ad Adamum, qui erexit se animo & affectavit Dei æqualitatem. Itaque factus est voluntati Dei inobediens. Christus autem secundus Adam, etsi erat ornatus formâ & æqualitate Dei, tamen non elatus est animo, nec insultavit aliis propter suam majestatem, sed potius dejecit se, & obedivit voluntati Dei usque ad probrosissimam mortem. Quid verò tam profundâ humiliatione & obedientiâ consequutus est? Quod ad nos attinet, illud est consequutus, ut cœlestis Pater nobis fuerit reconciliatus & sic per obedientiam unius constituentur multi justî. Quod autem attinet ad ipsam Christi personam, Deus *ὑπερψωρε*, hoc est, in summam sublimitatem extulit eum, & donavit ei nomen, quod est supra omne nomen. Nomen scilicet DEI, ut homo ille verus esset Deus, quem omnes aliæ creaturæ, sive cœlestes, sive terrestres, sive infernæ adorarent. Numquid autem tum primum donatum est ei hoc nomen, cum resurrexit à morte, & ascendit in cœlum visibiliter? Nihil certè minus. Sed datum est ei, cum in utero Virginis è Spiritu Sancto conciperetur; usitata enim est phrasîs loquendi, ut tunc res dicatur fieri, *cum innotescit.* Resurrectione autem à mortuis & ascensu in cœlum ac missione Spiritûs Sancti, innotuit in Ecclesia Dei, ac publicè patefactum est, quod hic Jesus, Filius Mariæ, non sit tantum homo, quales sunt alii homines, sed sit ab unigenito filio Dei in utero matris in unam personam assumptus, & omni divinâ majestate ornatus, intereà autem temporis, dum perageret mysterium nostræ salutis, obtexerit eam humiliatione, ut etiamsi fuerit, tamen non apparuerit, verus Deus, seu verâ Dei formâ decoratus. Etsi enim nonnihil majestatis suæ ostentavit in transfiguratione suâ coram tribus discipulis, & in miraculis; tamen majestas ejus tum demum, quantum quidem ratio hujus seculi ferre potuit & salutî Ecclesiæ utile fuit, patefacta est, cum excitatus à

mor-

mortuis misit Apostolis Spiritum suum Sanctum, & ornavit eos dono linguarum, & edendorum omnis generis miraculorum; & revelabitur adhuc clarius, cum ostensus est gloriam suam in reditu ad judicium &c. *In Libell. de Div. Maj. Christi p. 922. sqq.*











§. XV.

Postremò de SESSIONE CHRISTI AD DEXTRAM Patris Vir beatus hæc habet, à nobis quidem in compendium redacta:

Dextra Dei in hoc articulo non significat tantum dextram vulgaris felicitatis, quali etiam Sancti in regno cœlesti fruuntur, sed significat propriè dextram virtutis, Majestatis, & omnipotentiae DEI, & proinde *sedere ad dextram Patris* nihil aliud est, quam Christum cum DEO Patre suo æqualis esse Majestatis & omnipotentiae, & elatum esse in summam sublimitatem *suprà omnem principatum, &c.* Ita enim Paulus exponit ad Eph. I, 21. Visne excellentiorem & cœlestium arcanorum magis consci-um interpretem? Quod cum ita sit, non potest, non potest, inquam, dextra DEI significare certum locum, in quo Christus cum corpore suo localiter circumscribatur, & in quo gradatim, corporum in hoc seculo more, incedat; Majestas enim DEI & omnipotentia ejus non patiuntur se in unum locum, quamvis amplissimum, includi & circumscribi, sed patent, quacunque essentia DEI pater. Hinc & Calvinus, etsi per omnia nobiscum non faciat, tamen ad hunc textum Pauli fatetur, per dextram DEI non locum aliquem, sed potestatem, quam Pater Christo contulit, intelligendam, adeoque Regnum Christi ubique diffusum esse, & perperam eos facere ait, qui ex sessione ad dextram Dei probare conantur, Christum non nisi in cœlo esse juxtâ humanitatem. Sed porro audiamus Divinum & authenticum interpretem, Paulum, qui in eadem epistolâ cap. quarto ait: Christum ascendisse *suprà omnes cœlos, ut omnia in omnibus impletet.* Quæ omnia? Num vaticinia Prophetica? Scio, hanc esse multorum expositionem. Paulus autem non loquitur hîc de impletione vaticiniorum, sed de *impletione inferiorum & superiorum*; Paulò ante enim dixerat: *Qui ascendit, quid est, nisi qui & descendit, &c.* Hîc audis inferiores partes terræ. Audis supremos cœlos. Vides antithesin *descensus & ascensus.* Fieri ergò non potest, ut verbum *implendi omnia* hoc loco referas ad vaticinia Prophetica, sed ad infimas ac supremas mundi partes, ut significetur, Christum accepisse dominationem omnium rerum, & eas coram præsentem, non Deitate tantum, sed & humanitate, gubernare. *Lib. de personali unione p. 845. 972. Et; De ascensu Christi in cœlum. p. 1039. 1071.*

© The Tiffen Company, 2007


TIFFEN® Gray Scale

- A** 1  **R**
- G** 2  **G**
- B** 3  **B**
- M** 4  **M**
- W** 5  **W**
- G** 6  **G**
- K** 7  **K**
- C** 8  **C**
- Y** 9  **Y**
- M** 10  **M**




TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



Centimetres



Inches

- Blue
- Cyan
- Green
- Yellow
- Red
- Magenta
- White
- 3/Color
- Black